3

SPONGIA

DELENDÆ PRÆFATIONI

PERPERAM ASSVTÆ

AD REPROBATIONEM

Novissimæ Apologiæ Hæreticæ

SAMVELIS MARESII

ADVERSUS

Pontificem Rom. & Jesuitas.

Concinnata à R. C L. V. Theologo.





TVLLI LEVCORVM,
Apud SIMONEM BELGRAND.
M. DC. LV.

Superiorum permissu.

AUCTOR LECTORI.

LEGISTIN', optime Lector, Præfationem, *nescio quo fine*, pessimo certè offensionum fructu, ad *Reprobationem Apologiæ* hæreticæ malè nuper assutam? Non dubito, quin ex communi sapientûm sensu eam censueris veste, & canis Præfatoris indignam. Sin autem fortè non legisti, tuum nihilominus ex eruditorum voce præjudicium capio. Quo autem certiùs pronunties; confusam (pro genio Auctoris) præfationem, binas tibi in partes dissecui: ut suis utramque responsionibus distinctam in varios paragraphos, tuæ æquitatis arbitrio sisterem.

Fallor equidem vehementer, si tuâ sententiâ absolvatur, qui eruditorum ubique sermonibus vapulat, Reus *gravioris imprudentiæ, inurbanitatis, ignorantiæ, vel malæ fidei. Imprudentiæ* quidem, quòd hæreticam *Apologiam adversus Pontificem Rom. & Jesuitas* scriptam reprobaturus, ipse velut caussæ prævaricator suæ,

in primo operis aditu, non tantùm duos Jesuitas (numquam ab iis lacessitus) insectetur; sed etiam, cum quo maximè facere in communi caussa debuerat, *Authorem Apologiæ pro tuenda Romani Pontificis authoritate*, criminationibus oneret probrosissimis. *Inurbanitatis* verò, quòd Religioso Theologo & Sacerdoti contumeliam impingat *gravis ignorantiæ*, *negligentiæ*, *imperitiæ*, *detractionis*, & probrorum ejusmodi, quæ vix rusticus homo bubulco alicui injiciat. Denique *ignorantiæ, vel malæ fidei*; quòd quæcumque Præfator ille criminatur, eadem partim à gravissimis Theologis diu antè scripta nesciat; partim, si quæ noxæ affinia sunt, calumniosè confingat in *Apologiæ Authorem.*

Hujus ego (quo olim Magistro glorior) simulque ipsius Præfatoris existimationi consulturus, hanc aptavi *Spongiam delendæ* (an deliniendæ?) acerbissimæ *Præfationi* idoneam. Interim salve, Lector optimè, & hîc tantisper, dum partes contendunt, æquus arbiter sede.

PRÆ-

PRÆFATIONIS CONTRA AVTHOREM APOLOGIÆ.

PARS PRIMA.

Hunc igitur in modũ orditur Præfator.

§. I.

„ Nec possum satis mirari, quo fine & fructu quidam
„ Author recentis Apologiæ pro hac Constit. Aposto-
„ lica, contra ejus obtrectatores, priori ejus parte op-
„ timè functus ex sacra Scriptura ipsoque Avg. contra
„ eosdem 5. errores condemnatos: sub finem, quasi
„ ad obstruendum quibusdam refugium ab hac Con-
„ stitutione ad Authoritatem Doctrinæ August.
„ conetur hanc nimium deprimere; imputando ei
„ multos errores, sed quatuor graviores.

Eidem Responsio.

Punctum Unicum.

Quo fine præcludatur effugium ab Authoritate Ecclesiæ ad Augustinianam.

NEque alii satis mirari possunt istam in Præfatore (sic illum deinceps modestiæ & charitatis caussâ vocabimus) ignorationem finis & fructus intenti ab Authore Apologiæ, dum studuit præferre Romanæ Sedis authoritatem etiam Augustinianæ. Enimverò cùm Præfator ille in sua nescio qua *Bilance*, vel *JESV inter Doctores*, sibi arbitrium arrogarit (hinc recusatum, illinc temeritatis

 aliisque

Anno 1648. die 7. Dec. aliisque censuris à facultate Duacensis Theologiæ notatum) totius Jansenianæ cum sana Doctrina controversiæ: qui fiat, sine gravi ignorantia, ut ipse nesciat, id unum semper Jansenio studium, ejusque sequacibus fuisse, ut S. Augustini nomen decretis Ecclesiæ opponerent; ac perpetuò succlamarent, S. Augustinum per latus ille Baii, isti Jansenii jugulari; divinam ejus de Gratia & libero arbitrio doctrinam, quam Patres, quam Concilia, quam Romani consecravere Pontifices, proscribi & damnari?

Hic igitur est finis quem spectavit Author Apolog. magnum inde sperans fructum in asserenda Innocentiana Constitutione, si demonstraret Sedis Apostolicæ authoritatem unam semper fuisse, quæ à Christo promissam suo in terris Vicario infallibilitatem, quasi ex officio ipsa haberet; eamque, si luberet, suis Doctoribus eatenus communicaret, quatenus eorum scripta (ad præviæ lucernam discussionis exacta) sua particulatim approbatione firmaret. Quod eruditissimè probat Alphonsus Tostatus Episc. Abul. Defensor. 2. part. cap. 81. 82.

Tostat. To 14.

Ac proinde ut neque sedes Apostolica falli errareve potuit, sive in sanciendis Fidei morumque decretis, sive in scriptis Patrum quorumcumque approbandis; ita *errare* (ait Melchior Canus, Episcop. Canariensis) *in rebus obscuris, & quæ non erant eo tempore explicata*

Lib. 7. de locis Theol. cap. 3. num. 7.

ac

ac definita, aut Cypriano, aut Ambrosio, aut Augustino accidit.

Dicti hujus rationem altiùs repetens Alphonsus à Castro Minorita Reg. observ. magnus inter Polemicos Theologos, universè de hominibus quantumlibet Sanctis, & Ecclesiæ Doctoribus: *Quid obstat*, inquit, *ut eum qui falli potest, falsum fuisse dicamus? At omnis homo ex peccato primorum parentum adeò obtusum traxit ingenium, ut ad veram rerum notitiam minimè penetrare valeat; quî fit ut sæpè in discernenda fallatur. Nam inter incommoda, quæ in hac vita patimur (teste Augustino) est fallax judicium, &c.* *Lib. 1. adversf. Hæres. cap. 7.*

Atque illud est, quod Author Apol. fassus est expertum fuisse B. Augustinum, si quando carebat certissimis Apostolicæ Sedis oraculis, eò adducens, quod B. Augustinus de se ipse scribit, lib. 4. de Trinit. in procemio: *cor suum* (utpotè humanum) *figmenta multa parere*; ex quibus tria dumtaxat adscribi Augustino voluit Author. Apol. notam verò *erroris* (etsi calumnietur Præfator) tanto Doctori ne semel quidem vel levioris tantùm, nedum quater gravioris impegit. *Apolog. pro Cōst. Innocēt. pag. 148*

Sed age, errasse Augustinum dixerit; an graviùs peccarit quàm eruditissimus Theologus Melchior Canus, suprà citatus? An graviùs, quàm invictus ille Ecclesiæ Athleta Franciscus Horantius ordinis Minorum, vir admodum doctus? Qui cùm interresset Concilio Tridentino insignem lucubrationem suam de locis *In epist. ad Carol.*

Catholicis, unà cum Concilio absolvit, ut ipsemet testatur lib. 4. cap. 3. Ità igitur scribit: *in re maximè ardua erravit Cyprianus, at non multò post, ab Hieronymo, Augustino, &c. correctus est. Hieronymus etiam in quibusdam hallucinatus est, sed à posterioribus, immò sui sæculi hominibus, est notatus. Idem Augustino longè doctissimo contigit.*

Denique non graviùs peccasset Author Apolog. adscribens Augustino errores, quàm religiosissimæ eruditionis miraculum Alphonsus Tostatus Episcopus Abulensis, qui Defensorii part. 2. cap. 18. scribit: *Constat quòd Augustinus cùm scriberet, in multis erravit, & tamen quando ipse scribebat, ita putabat esse sicut scribebat, posteà autem retractavit multa. Et verosimile est, quod non potuerit omnia retractare, in quibus erraverat.*

Tostat, To. 14. Defens. p. 2.

Maneat igitur, & meram esse calumniam, quod Præfator tam confidenter, & toties sua Præfatione jactitat, de imputatis Augustino quatuor erroribus ab Authore Apologiæ; neque hunc propterea ulla afficiendum contumeliâ fuisse, si post Theologos celeberrimos (partim citatos, partim citandos) Augustinum errasse aliquando dixisset: quod tamen non dixit.

Prose-

Prosequitur Præfator.

§. 2.

„ Cùm nullus Catholicus opponat aut proponat, sed
„ componat, & supponat authoritatem Doctrinæ Au-
„ gustinianæ in scabellum Sedis Apostolicæ : illáque
„ huic præ omnibus Patribus contra omnes hæreticos.
„ necessaria sit.

Responsio.

Punctum Unicum.

Jansenianos malè provocasse à Pontifice Romano ad Augustinum; neque hunc necessarium esse stabiliendæ Ecclesiæ firmitati.

ILlepido verborum lusu dupliciter Præfator illudit veritati. Primùm enim, compertum est, plurimos Jansenianorum (qui utique Catholicorum nomine gloriantur) Ecclesiæ oraculis etiamnum componere, opponere (aut fortassis etiam anteponere) Augustinum; ad decretorum Apostolicorum vim infringendam unâ ipsius authoritate perperam abutentes. Hanc ferè unam prætexere, dum nuperam INNOCENTII X. Constitutionem vel apertè criminantur, vel occultis saltem calumniis arrodunt. Nihil suis in circulis frequentiùs occinere ; quàm Jansenium fidelissimum Augustini interpretem numquam ab ejus sententia, pertinace 20. annorũ lectione imbibita, abludere : cæcutire Theologos qui Magistum Magistrorum, principem Doctorum Theologiæ Augustinum non agnoscāt in Jansenio redivivum:

ac proinde non esse damnatas ab Sede Apostolica Jansenii opiniones, ne probrum illud refluat in B. Augustinum, ejusque Doctrinam, Ecclesiæ authoritate toties consecratam.

Deinde verò, quod Præfator illudit, doctrinam Augustinianam *in Scabellum Sedis Apostolicæ* ita subjectam, ut & ei necessaria sit, & concuti Sanctam Sedem necesse sit (quomodo explicatum in nupera præconiorum B. Aug disputatione viri magni obstupuerunt) si authoritas B Augustini convellatur: id, inquam, eò spectare videtur, quasi illa Ecclesiæ stabilitas, ad omnes quorumcumque hostium machinas inconcussa, humano aliquo affirmari fulcro necesse habeat; cui tamen & *Petra* illa (Augustino Petrus Christi Vicarius) & Divina promissio, quibus indissolubiliter innititur, semper præsto, semper nullius subsidio hominis abundè sit. Adeò ut Thomas Valdensis nobilis Ecclesiæ Romanæ defensor sapienter scripserit: *Anxius Augustinus de librorum suorum calumniatione hæretica, dicit illud Ecclesiastici: Odivi omnem laborem meum, quo ego laboravi sub sole.*

1. Retra. cap. 21.

Tom. 2. cap. 31.

Quod profectò dici sine flagitio non potuit, nec scribi à Doctore Catholico, si doctrina Augustiniana præ omnibus contra omnes hæreticos fulciendæ necessaria esset Ecclesiæ. Eòdē spectat quod Præfator habet in suo *JESV inter Doctores*, de Augustino Ecclesiæ Assessore, & fuit censurâ notatum à Theologis Duacensibus; ad §. 7.

Profe-

Prosequitur Præfator.

§. 3.

„ Nec illi, aut ulli alii errores, doctrinæ sint ipsius
„ B. Augustini, sed nostri. *pag. 149. Ita ibi.*

PUNCTUM I.

Sintne in Augustino errores aliqui.

RESPONSIO.

GRatulandum erit subtilissimo Præfatori, si quàm plausibiliter apud imperitos, tam apud eruditos verosimiliter docebit nullos in tam variis Augustini operibus errores inveniri. Qui tamen si reperiantur, suo (citra ejus injuriam) adscribentur authori; modò non tam propriè errores doctrinæ dicantur (ut aliquid gratificemur adversario) quàm quædam humani cordis figmenta, *non pro solido vero* (ut Deum orabat Augustinus) *eructata*; sed, ad mentem Melchioris Cani, *in rebus obscuris, quæ non erant eo tempore explicata ac definita*, opinata.

Lib. 4. de Trin. in Proœmio.

Lib. 7. de locis Theolog. cap. 8.

Cui hæc non erunt satis, ad scrupulum omnem de Augustini erroribus evellendum, per me adeat licet Alphonsum Tostatum, Episcopum Abulensem, qui & interfuit Concilio Basileensi, & Spondano dicitur, *multiplici omnium scientiarum eruditione ad miraculum clarus*, & ipsi aliisque Scriptoribus novo-antiquis,

Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne.

Ab

Ab hoc tali Magiſtro diſcet quanta vi argumentorum pugnari adverſus aliquam Auguſtini ſententiam aliis non probatam Doctoribus poſſit, ac demum hanc concluſionem audiet, Præfatori non exſpectatam: *ideò injuſtum erat valdè negare omnia illa, vel dicere quòd non intelligamus illa, cùm inducant oculis noſtris veritatem manifeſtiſſimam etiamſi diſſimulare velimus, & ſtare authoritati Auguſtini, DE QVO CONSTAT, QVOD POTVIT ERRARE, ET IN MVLTIS ERRAVIT, QVORVM QVÆDAM IPSE RETRACTAVIT, ALIA VERO NON POTVIT.* Ita ille.

Defenſ. p.2.c.85.

Ad mentem prorſus B. Auguſtini, qui ſcripſit ad Marcellinum Epiſt. 7. ſub initium: *Vos qui me multum diligitis, ſi talem me aſſeritis adverſus eos quorum malitiâ, vel imperitiâ, vel intelligentiâ reprehendor, ut me nuſquam Scriptorum meorum ERRASSE dicatis, fruſtra laboratis, non bonam cauſſam ſuſcepiſtis, facilè in ea me ipſo judice ſuperamini: quoniam non mihi placet, cùm à cariſſimis meis alis eſſe exiſtimor, qualis non ſum.*

Proſe-

Prosequitur Præfator.

„ *Nam 1. Angelos esse corporeos, imputatur ei ex gravi*
„ *ignorantia Retract. B. Aug. lib. 1. cap. 26. Quod dixi*
„ *spiritualiter summos Angelos vivere, infimos verò*
„ *animaliter: audaciùs dictum est de infimis.*

Responsio.

Punctum II.

Senseritne Augustinus Angelos esse corporeos?

Istâ parùm æquâ censurâ tria Præfator imprudens prodidit, quæ difficulter purgabit, *infidelitatem, inconstantiam, ignorantiam.* Adeò, qui quod vult dicit, etiam quæ non vult audiet.

Primùm, Augustini locum Adversario objectum quatenus illi favebat, mutilavit: sic igitur restituetur in integrum è lib. 1. Retract. cap. 26. ad quæst. 67. extrem. *Quòd dixi spiritualiter summos Angelos vivere, infimos verò animaliter: audaciùs dictum est de infimis, quàm ut possit vel Scripturis Sanctis, vel ipsis rebus ostendi: quia etsi forsitan potest, difficillimè potest.*

Censet igitur Augustinus etiam hîc forsitan posse seu Scripturis, seu rationibus aliis ostendi, quamvis difficillimè (neque enim aliter potest de rebus sensus nostros fugientibus judicari) Angelos inferiores esse corporeos, ut alibi sæpissimè scripserat.

Deinde, quæ Præfatoris inconstantia est hîc arguere gravis ignorantiæ, quod ipsemet variis in sua Anatomia locis vehementer insinuat?

nuat?

Tom. 2, Anatom August. col. 129. nuat? Primò, enim ad citatum è libro 1. Retract. locum, fatetur B. Augustinum (quasi dubium) libenter declinare ab illa opinione de Angelis corporeis: Secundò, in *lib. 2. de Genes. ad litteram*, col. 397. cùm retulisset ex *cap. 17. Augustini* *Ibidem col. 297.* quòd Dæmones *subtiliori sensus acumine, & corporibus subtilioribus vigent*, subdit idem Anatomiæ Author; *QVÆ SVPPONVNT DÆMONES ESSE CORPOREOS.* Tertiò, in *lib. B. August.* *Ibid. col. 94. extrema.* *de Utilitate credendi*, fatetur Augustinum *procedere ex opinione de corporibus immortalibus Angelorum, quæ fuit ipsi valdè dubia.* Atqui dubitare, propendere, supponere sententiam de Angelis corporeis, vel aliam falsam, ut minimùm in reipsa est figmentum, & semper in Dei cognitione & Angelorum pro tali habitum fuit; quod Authori Apologiæ abundè est, ne ullius, nedum gravioris ignorantiæ notâ figatur.

Postremò, quantæ ignorantiæ est, emeritum Theologiæ Professorem, qui quadraginta annis (ut prædicat) sensum Augustini indagarit; nesçire, quid nominatissimi inter Scholasticos Theologi sentiant de mente B. Augustini in hac çelebri quæstione; *utrum Angeli sint corporei*, in qua nemo de sententia B. Aug. non philosophatur?

E plurimis autem, qui asserunt cum Authore Apolog. Augustinum sensisse Angelos esse corporeos, decem in digitos digero, qui (contra quàm criminatur in sua Respons. Præfator) neque sunt Theologastri Juniores, & eorum bonam

bonam partem Scholæ PP. Societatis suis Majoribus adscribunt.

1. Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis, Magister Sententiarum, & Theologorum Scholasticorum, in 2. Distinct. 8. dicit ita videri Augustinum docuisse Angelos esse corporeos, ut propterea (juncta etiam aliorum authoritate Patrum) non ausus sit quidquam in partem contrariam definire: quemadmodum Bañez & alii observarunt.

2. Alphonsus Tostatus Episcopus Abulensis, Bellarmino sanctitate & doctrina celeberrimus, in Matthæi cap. 25. scribit: *Augustinus asserit vel supponit dæmones habere corpora vnita, &c. quasi sint animalia. Sed ista non sunt vera.* Notet Præfator, quàm apertè & præcisè Augustino contradicat.

3. Ferdinandus Vellosillus Episcopus Lucensis, in SS. Patribus & universa Theologia, quam publicè professus est, versatissimus, ac proinde à Philippo Rege Catholico ad Concilium Tridentinum missus: *Advertentiarum Theolog. Scholast. in 1. Tom. B. Augustini ad 5. quæsitum*, clarè significat eam fuisse mentem B. Augustini satis constantem, neque omnino retractatam.

4. Dominicus Bañez, celeberrimus, inter Dominicani ordinis Thomistas, commentator Angelici Doctoris, in 1. p. quæst. 51. art. 1. §. *Tertia conclusio*, docet ideò non videri esse errorem in fide, asserere corporeos Angelos, quod

quod Augustinus dicat sua esse dæmonibus corpora,&c. Etsi non possit jam affirmari sine temeritate. Ita ille.

5. Guilielmus Estius Doctor, & Primarius in Academia Duacena Professor Theologiæ, in lib. 2. sentent. Distinct. 8. §.3. Ostendit ex 16. apertis locis Augustinum videri approbare sententiam de corporeis Angelis.

6. Gregorius de Valentia Societatis JESU, à Clemente VIII. Doctor Doctorum appellatus; Tom. 1. Disp. 4. quæst. 2. idem de Augustini sententia censet.

7. Ludovicus Molina ejusdem Societatis, quem appellat Laurent. Beyerlinck, *multiplice rerum scientia præcellentem etiam doctissimos suæ ætatis.* 1. p. quæst. 50. A. 1. *Negandum non est,* ait, *Augustinum, in ea* (de Angelis corporeis) *fuisse sententia;* quam mox subdit non retractasse.

8. Franciscus Suarez, Paulo V. Pont. Max. in quaternis literis Apostolicis *Doctor eximius,* Algarbiorum Antistiti *alter hujus ætatis Augustinus,* lib. 1. de Angel. cap. 6. probat allatis 12. claris testimoniis, Augustinum ita docuisse.

9. Dionysius Petavius, quem Bibliotheca Anti-janseniana meritò appellat; *Theologum Societatis JESV undecumque doctissimum,* Theologic. Dogmat. Tom. 3. lib. 1. cap. 2. asserit, allatis pluribus testimoniis, Augustinum affinxisse Angelis multò præstantiora, purioraque corpora quàm dæmonibus.

10. Fran-

10. Fanciſcus de Lugo ex eadem Societate, plurimis in locis Theologiam diu Profeſſus, lib. 1. de Angelis Diſp. 1. cap. 1. fatetur, & probat decem teſtimoniis, Auguſtinū tribuiſſe Angelis quædam corpora, nec retractaſſe.

Ecce quibus Theologis Præfator notam *gravis ignorantiæ* impegit; vel imprudens, quod magnam in Theologo arguit inſcitiam; vel prudens, quod maximam impudentiam.

Ac ne dicat, Auguſtinum ſuam iſtam ſententiam retractaſſe; (quod Authori Apologiæ ſatis eſſet ad probandum, aliquod partum ab Auguſtino figmentum fuiſſe, ut falſitatis ita & emendationis capax) negant præcisè è citatis authoribus Ferdinandus Velloſillus, Ludovicus Molina, Franciſcus Suarez, Petavius, Lugo, aſſerentes Auguſtinum ad quæſt. 47. ex 83. in lib. 1. Retract. cap. 26. non retractare quod de Angelis dixerat, ſed corrigere comparationem quam fecerat de corporibus hominum reſurgentium, dicens illis ſimilia eſſe futura. Nam locus ille ex eodem capite Retractationum ad quæſt. 67. citatus à Præfatore, à nemine iſtorum omnium citatur, in defenſionem Auguſtini; quòd nihil evincat.

B Profe-

Prosequitur Præfator.

„ 2. *Nefas esse Christianis occidere infideles, mortem* „ *intentantes.* Ex gravi negligentia colligendi sensum „ probabilem S. Augustini ex lib. 1. de Libero arbitr. „ cap.5. lib. de Mendacio cap.19. & 20. epist.154. Quòd „ sit illicita occisio invasoris vitæ propriæ, vel pudi- „ citiæ, ex sola libidine seu pravo affectu hujus vitæ, & „ pudicitiæ corporalis, præ salute spirituali nostra & „ proximi: non autem quòd sit illicita ex vero affectu „ justitiæ, & ordine charitatis.

PUNCTUM III.

An per Augustinum licita sit injusti invasoris occisio?

RESPONSIO.

AN non meritò quærat quispiam illud ex Jobi cap. 38. *Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis?* Qui Augustini doctrinam assuevit (judice Sorbona) non tam explicare quàm involvere: claram casûs apud Augustinum propositi Epist. 154. Definitionem 1.Retra. cap.ult. rejicit ad alium spectantem aliò (in *libr. de mendacio*, quem librum Augustinus ipse vocat, *obscurum, anfractuosum, & omnino sibi molestum*) contra præcisam hinc Publicolæ interrogationem Epistol.153, illinc Augustini, tunc demum Episcopi, responsionem. Hic enim alienas omnes Præfatoris limitationes dissipat, *negans planè fas ulli esse occidere invasorem*; hac una dumtaxat exceptione (quasi firmante

firmante universitatem præcedentis negationis) *nisi fortè sit miles, aut publicâ functione teneatur.* Quò item spectat quod diu antè scripserat: *Quo pacto istos defendam, qui interficiunt* (vel hostem invadentem, vel insidiatorem sicarium, ut ibid. habet) *non invenio.* *Lib. 1. de Lib. arb. cap. 5.*

Nullius autem nisi Præfatoris notanda est *gravis neligentia*, quòd nimis in proprio sensu abundans consulere neglexit celebriores in hac materia Theologos circa Augustini sententiam, expressam breviter ab Authore Apolog. de illicitâ occisione invasoris. Esse autem ad mentem B. Augustini, è plurimis id asserentibus Theologis, quinque modò sufficient.

I. Augustinus Triumphus, aliàs de Ancona, vir doctus admodum & Religiosus S. Augustini, qui floruit anno Christiano 1301. libro de potestate Ecclesiast. quæst. 52. art. 3. negat licere occidere invasorem injustum, pro tuenda propria vita, suamque sententiam maximè confirmat authoritate B. Augustini lib. 1. de Libero arbit. cap. 5. & Epistola 154. ad Publicolà, rejicitque ut alienam à mente B. Augustini explicationem Præfatoris de affectu inordinato hujus vitæ: rejicit etiam Tostatus in cap. 5. Matthæi quæst. 109. etsi Augustinum ipse aliò, quàm Triumphus, trahat.

II. Dominicus Sotus è Dominicana familia, primis suæ ætatis Theologis annumerandus, qui etiam Tridentino interfuit, de Justit. & Jure, lib. 5. Art. 8. fatetur *Augustinum* sensisse

 illici-

illicitam invasoris necem. Vide Card. de Lugo hìc Tom. 1. Disp. 10. sect. 6.

III. Ludovicus Molina, anteà laudatus, de Justitia tract. 3. Disp. 13. docet, manifestè videri eam fuisse B. Augustini mentem.

IV. Subscribit Gabriel Vasquez Societatis JESU. (Basilio Pontio lib. 4. de Matrim. cap. 25. *Theologorum hujus ætatis facilè Princeps, qui sibi sit unus pro mille*) Tract. de Restitut. cap. 2. §. 1. dub. 6.

V. Denique, ne longior sim, Luisius Turrianus ejusdem Societatis, qui è 50. annis quibus Philosophiam & Theologiam maximo plausu docuit, totos triginta in prima Complutensis Collegii Cathedra exegit. Hic igitur de Justit. Disp. 27. dub. 1. ita asserit, Augustinum sensisse, illicitam esse invasoris injusti necem pro tuenda propria vita, ut testimoniorum Augustini quas varii adferunt interpretationes, ipse solidè impugnet. Vide etiam Franciscum Amicum celebratum in Italiæ & Germaniæ Academiis, Theologiæ Professorem, qui idem de Augustini mente censet Tom. 5. de Justit. disp. 36. sect. 8. Atque ita conclude inverecundam esse Præfatoris confidentiam, qui Theologiæ Doctores ejusmodi, *negligentiæ gravioris* accuset.

Profe-

Prosequitur Præfator.

„ 3. *Infantes etiam baptizatos, nisi Eucharistiam*
„ *percipiant, salvos esse non posse:* Ex nimia imperitia,
„ quod *B. Aug.* more suo extendit hic sensum proprium
„ Sacræ communionis Corporis Christi, ad incorpo-
„ rationem Corporis mystici, id est, Ecclesiæ, per Ba-
„ ptismum. ut observat ipse *Corn. à Lapide in 6. Ioan-*
„ *nis*, in oppositam falsò citatus.

PUNCTUM IV.

De Communione parvulis necessaria, quis Augustini sensus?

RESPONSIO.

QUod hæretici quidam in Bellarminum mastigem suum machinati sunt, id in Authorem Apologiæ, nescio qua cavillandi peritia, molitus est Præfator. Hic enim, perinde ut illi, objectionem, relicta solutione pro assertione Authoris seu arripiunt, sive criminantur. Utrumque igitur expendamus, & objectionem, & positam in Apologia solutionem.

Primùm: objectionis vicem habet, quod dictum est, magni nominis Authores ita explicare Augustinum variis locis, ut senserit parvulis etiam baptizatis necessariam esse, ad salutem consequendam, Eucharistiæ perceptionem realem.

Quid in eo criminandum? An quia dictum id variis locis asseri à B. Augustino? At citavit Author Apol. *de Prædestin. Sanctor. lib. 1. cap. 13.* Et maximè lib. 1. de Peccator. meritis & remiss.

 cap. 20.

cap. 20. circa med. ad ista verba Joannis 6: *Nisi manducaveritis carnem meam* &c. *non habebitis vitam in vobis.* subjicit: *Quid ultrà quærimus .... An verò quisquam etiam hoc dicere audebit, quod ad parvulos hæc sententia non pertineat, possintq; sine participatione Corporis hujus & Sanguinis in se habere vitam, quia non ait: Qui non manducaverit, sicut de Baptismo, qui non renatus fuerit; sed ait, Si non manducaveritis, velut eos alloquens, qui audire & intelligere poterant, quòd utique non valent parvuli? Sed qui hoc dicit, non attendit, quia nisi omnes ista sententia teneat, ut sine Corpore & Sanguine filii hominis vitam habere non possint, frustra etiam ætas major idcurat. Potest enim, si non voluntatem, sed verba loquentis attendas, eis solis videri dictum, quibus tum Dominus loquebatur.* Possuntque addi alia loca allegata ab iis Authoribus, qui id adscribunt Augustino.

Agmen ducet Cardinalis Hosius, Episcopus Varmiensis, in Concilio Tridentino Præses sapientissimus. Is certè ex commemorato 20. capite & 23. *De Peccatorum meritis & remiss.* affirmat Augustinum agere de Sacramentali Eucharistiæ manducatione propriè dicta & parvulis necessaria. In *confutatione Prolegomenon Brentii lib. 3. de Authoritate sacræ Scripturæ.* Quod item dogma tribuit Chrysostomo, Cyrillo, Cypriano, & Hilario.

Atque illud est, quòd *Corn. à Lapide*, non immeritò huc adductus dicit: *Veteres* (jam

citatos, & alios Africanos) *præceptum sumendæ Eucharistiæ, ad parvulos & infantes extendisse, quibus proinde reipsa dabant Eucharistiam. Ut patet ex S. Cypriano Tract. de lapsis, & ex S. Augustino Epist. 23. ad Bonifacium.* Ita Cornelius.

Id etiam tribuunt Augustino tres alii Authores citati in Apologia, Primus est *Joannes Maldonatus* Societatis JESU, qui vir Deus bone! cujus indefessam industriam in Theologis omnibus Græcis & Latinis evolvendis; Doctarum linguarum peritiam; Scripturæ, Sanctorumque Patrum scientiam; præstantissimum ingenium; eximiamque doctrinam, quam Gallia atque Europa universa suspiciat, omnes passim Scriptores deprædicant; unus inficeti oris Præfator, *nimiæ imperitiæ* accuset; quòd in *Caput 6. Joannis* scribat, *Augustinum* docuisse necessariam esse parvulis Eucharistiæ perceptionem ad salutem.

Alter author ejusdem de Augustino sententiæ, & paris imperitiæ damnatus à Præfatore, est Dionysius Petavius, quem ob omnigenam scientiarum eruditionem, & SS. Patrum fere ad miraculum cognitionem ita suspexit Europa, ut duo potentissimi Reges pro eo certarint, Ludovicus XIII. & Philippus IV. hic pro obtinendo ad Hispaniæ lucem, ille pro retinendo ad perpetuandum Parisiensis Academiæ splendorem.

Tertius est Joannes Adam Theologus & concionator, ab erudita calami & linguæ fa-

cundia,& præclaris in controversia Jansenistica lucubrationibus per Gallias nominatus: is, in libro quem Gallicè inscribit: *Calvin défait par soy-même*,&c. agnoscit ejus sententiæ Augustinum, de necessaria parvulis Eucharistiæ perceptione.

His accedit Eximius ac R. P. Joannes Mantelius prior Leodiensis Eremitar. S. Augustini, qui lib. 2. de Venerab. Eucharistia, cap. 17. ait: illam sententiam, de necessaria parvulis Eucharistiæ sumptione, ita in Ecclesia Africana olim invaluisse, ut & *B. Augustinus S. Cypriani observantissimus illam tenuerit*. Paucisque interjectis sic concludit: *nec memini me legisse, qui id temporis Cypriano, aut Augustino hac in re adversati fuerint*. Ita modestus ille ac doctus Augustinianæ mentis interpres.

Nimirum audacior ex omnibus Præfator iste, non Hosii purpuram, non infulas, non Præsidis in Concilio Tridentino Majestatem, non eruditionem ejus eminentem; aliorúmque Theologorum minimè vulgarium veritus, *nimia imperitia* iis omnibus tribuit, in eum sensum Augustini mentem accepisse.

Modestiùs sanè (ut peritioré controversistam decuit) P. Franciscus Davenportus, in *Systemate Fidei* (quod opus approbarunt R. P. Petrus Marchant ordinis Minor. Commissarius generalis, postque alios multos, ipsemet R. P. Hauzeur) cap. 40. etsi doceat Augustinum negasse necessariam parvulis Eucharistiæ perce-

perceptionem, nullâ tamen censurâ notat eos qui contrariam opinionem adscribunt Augustino; imò suggerit qua ratione explicare possint S. Augustini duplicem sententiam.

Age verò quâ ipse cumque volet contumeliâ Magnos illos Theologos Præfator afficiat, non in eadem est navi Author Apologiæ; imò verò (& hoc alterum est quod solutionis instar habet) affirmatè dixit: *Se non magnopere pugnaturum, ut ejusmodi errorem damnatum in Tridentino, tanto adscribat Doctori.* Quâ igitur ratiocinandi peritiâ, ejus illum sententiæ complicem facit, à qua se recedere protestatus est? aut ejusdem imperitiæ Reos indiscriminatim omnes facit, sive istum negantem, sive alios contrà affirmantes quidpiam de quadam Augustini opinione?

Apolog. pag. 149 extrem.

Seß. 21. can. 4.

Jam verò si Author Apologiæ non potuit ex hoc capite argui imperitiæ (quippe qui negavit, Augustinum circa Communionem parvulorum, quidquam sive figmenti sive erroris opinatum esse) falsum est quod Præfator §. 1. posuit, *B Augustino quatuor graviores errores* fuisse ab Authore Apolog. *imputatos.*

Ab hoc tali Magiſtro diſcet quanta vi argumentorum pugnari adverſus aliquam Auguſtini ſententiam aliis non probatam Doctoribus poſſit, ac demum hanc concluſionem audiet, Præfatori non exſpectatam: *ideò injuſtum erat valdè negare omnia illa, vel dicere quòd non intelligamus illa, cùm inducant oculis noſtris veritatem manifeſtiſſimam etiamſi diſſimulare velimus, & ſtare authoritati Auguſtini,* DE QVO CONSTAT, *QVOD POTVIT ERRARE, ET IN MVLTIS ERRAVIT, QVORVM QVÆDAM IPSE RETRACTAVIT, ALIA VERO* NON *POTVIT.* Ita ille.

Defenſ. p.2.c.85.

Ad mentem prorſus B. Auguſtini, qui ſcripſit ad Marcellinum Epiſt. 7. ſub initium: *Vos qui me multum diligitis, ſi talem me aſſeritis adverſus eos quorum malitiâ, vel imperitiâ, vel intelligentiâ reprehendor, ut me nuſquam Scriptorum meorum* ERRASSE *dicatis, fruſtra laboratis, non bonam cauſſam ſuſcepiſtis, facilè in ea me ipſo judice ſuperamini: quoniam non mihi placet, cùm à cariſſimis meis talis eſſe exiſtimor, qualis non ſum.*

Proſe-

Prosequitur Præfator.

„ *Nam 1. Angelos esse corporeos, imputatur ei ex gravi*
„ *ignorantia Retract. B. Aug. lib. 1. cap. 26. Quod dixi*
„ *spiritualiter summos Angelos vivere, infimos verò*
„ *animaliter: audaciùs dictum est de infimis.*

Responsio.

Punctum II.

Senseritne Augustinus Angelos esse corporeos?

Istâ parùm æquâ censurâ tria Præfator imprudens prodidit, quæ difficulter purgabit, *infidelitatem, inconstantiam, ignorantiam.* Adeò, qui quod vult dicit, etiam quæ non vult audiet.

Primùm, Augustini locum Adversario objectum quatenus illi favebat, mutilavit: sic igitur restituetur in integrum è lib. 1. Retract. cap. 26. ad quæst. 67. extrem. *Quòd dixi spiritualiter summos Angelos vivere, infimos verò animaliter: audaciùs dictum est de infimis, quàm ut possit vel Scripturis Sanctis, vel ipsis rebus ostendi: quia etsi forsitan potest, difficillimè potest.*

Censet igitur Augustinus etiam hîc forsitan posse seu Scripturis, seu rationibus aliis ostendi, quamvis difficillimè (neque enim aliter potest de rebus sensus nostros fugientibus judicari) Angelos inferiores esse corporeos, ut alibi sæpissimè scripserat.

Deinde, quæ Præfatoris inconstantia est hîc arguere gravis ignorantiæ, quod ipsemet variis in sua Anatomia locis vehementer insinuat?

nuat?

Tom. 2, Anatom August. col. 129. nuat? Primò, enim ad citatum è libro 1. Retract. locum, fatetur B. Augustinum (quasi dubium) libenter declinare ab illa opinione de Angelis corporeis: Secundò, in *lib. 2. de Genes. ad litteram*, col. 397. cùm retulisset ex *cap. 17. Augustini* *Ibidem col. 297.* quòd Dæmones *subtiliori sensus acumine, & corporibus subtilioribus vigent*, subdit idem Anatomiæ Author; *QVÆ SVPPONVNT DÆMONES ESSE CORPOREOS.* *Ibid. col. 94. extrema.* Tertiò, in *lib. B. August. de Utilitate credendi*, fatetur Augustinum *procedere ex opinione de corporibus immortalibus Angelorum, quæ fuit ipsi valdè dubia.* Atqui dubitare, propendere, supponere sententiam de Angelis corporeis, vel aliam falsam, ut minimùm in reipsa est figmentum, & semper in Dei cognitione & Angelorum pro tali habitum fuit; quod Authori Apologiæ abundè est, ne ullius, nedum gravioris ignorantiæ notâ figatur.

Postremò, quantæ ignorantiæ est, emeritum Theologiæ Professorem, qui quadraginta annis (ut prædicat) sensum Augustini indagarit; nesçire, quid nominatissimi inter Scholasticos Theologi sentiant de mente B. Augustini in hac çelebri quæstione; *utrum Angeli sint corporei*, in qua nemo de sententia B. Aug. non philosophatur?

E plurimis autem, qui asserunt cum Authore Apolog. Augustinum sensisse Angelos esse corporeos, decem in digitos digero, qui (contra quàm criminatur in sua Respons. Præfator) neque sunt Theologastri Juniores, & eorum

bonam

bonam partem Scholæ PP. Societatis suis Majoribus adscribunt.

1. Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis, Magister Sententiarum, & Theologorum Scholasticorum, in 2. Distinct. 8. dicit ita videri Augustinum docuisse Angelos esse corporeos, ut propterea (juncta etiam aliorum authoritate Patrum) non ausus sit quidquam in partem contrariam definire: quemadmodum Bañez & alii observarunt.

2. Alphonsus Tostatus Episcopus Abulensis, Bellarmino sanctitate & doctrina celeberrimus, in Matthæi cap. 25. scribit: *Augustinus asserit vel supponit dæmones habere corpora vnita, &c. quasi sint animalia. Sed ista non sunt vera.* Notet Præfator, quàm apertè & præcisè Augustino contradicat.

3. Ferdinandus Vellosillus Episcopus Lucensis, in SS. Patribus & universa Theologia, quam publicè professus est, versatissimus, ac proinde à Philippo Rege Catholico ad Concilium Tridentinum missus: *Advertentiarum Theolog. Scholast. in 1. Tom. B. Augustini ad 5. quæsitum*, clarè significat eam fuisse mentem B. Augustini satis constantem, neque omnino retractatam.

4. Dominicus Bañez, celeberrimus, inter Dominicani ordinis Thomistas, commentator Angelici Doctoris, in 1. p. quæst. 51. art. 1. §. *Tertia conclusio*, docet ideò non videri esse errorem in fide, asserere corporeos Angelos, quod

quod Augustinus dicat sua esse dæmonibus corpora,&c. Etsi non possit jam affirmari sine temeritate. Ita ille.

5. Guilielmus Estius Doctor, & Primarius in Academia Duacena Professor Theologiæ, in lib. 2. sentent. Distinct. 8. §. 3. Ostendit ex 16. apertis locis Augustinum videri approbare sententiam de corporeis Angelis.

6. Gregorius de Valentia Societatis JESU, à Clemente VIII. Doctor Doctorum appellatus; Tom. 1. Disp. 4. quæst. 2. idem de Augustini sententia censet.

7. Ludovicus Molina ejusdem Societatis, quem appellat Laurent. Beyerlinck, *multiplice rerum scientia præcellentem etiam doctissimos suæ ætatis*. 1. p. quæst. 50. A. 1. *Negandum non est*, ait, *Augustinum*, *in ea* (de Angelis corporeis) *fuisse sententia*; quam mox subdit non retractasse.

8. Franciscus Suarez, Paulo V. Pont. Max. in quaternis literis Apostolicis *Doctor eximius*, Algarbiorum Antistiti *alter hujus ætatis Augustinus*, lib. 1. de Angel. cap. 6. probat allatis 12. claris testimoniis, Augustinum ita docuisse.

9. Dionysius Petavius, quem Bibliotheca Anti-janseniana meritò appellat; *Theologum Societatis JESV undecumque doctissimum*, Theologic. Dogmat. Tom. 3. lib. 1. cap. 2. asserit, allatis pluribus testimoniis, Augustinum affinxisse Angelis multò præstantiora, purioraque corpora quàm dæmonibus.

10. Fran-

10. Fanciſcus de Lugo ex eadem Societate, plurimis in locis Theologiam diu Profeſſus, lib. 1. de Angelis Diſp. 1. cap. 1. fatetur, & probat decem teſtimoniis, Auguſtinũ tribuiſſe Angelis quædam corpora, nec retractaſſe.

Ecce quibus Theologis Præfator notam *gravis ignorantiæ* impegit; vel imprudens, quod magnam in Theologo arguit inſcitiam; vel prudens, quod maximam impudentiam.

Ac ne dicat, Auguſtinum ſuam iſtam ſententiam retractaſſe; (quod Authori Apologiæ ſatis eſſet ad probandum, aliquod partum ab Auguſtino figmentum fuiſſe, ut falſitatis ita & emendationis capax) negant præcisè è citatis authoribus Ferdinandus Velloſillus, Ludovicus Molina, Franciſcus Suarez, Petavius, Lugo, aſſerentes Auguſtinum ad quæſt. 47. ex 83. in lib. 1. Retract. cap. 26. non retractare quod de Angelis dixerat, ſed corrigere comparationem quam fecerat de corporibus hominum reſurgentium, dicens illis ſimilia eſſe futura. Nam locus ille ex eodem capite Retractationum ad quæſt. 67. citatus à Præfatore, à nemine iſtorum omnium citatur, in defenſionem Auguſtini; quòd nihil evincat.

Prosequitur Præfator.

„ 2. *Nefas esse Christianis occidere infideles, mortem*
„ *intentantes.* Ex gravi negligentia colligendi sensum
„ probabilem S. Augustini ex lib. 1. de Libero arbitr.
„ cap. 5. lib. de Mendacio cap. 19. & 20. epist. 154. Quòd
„ sit illicita occisio invasoris vitæ propriæ, vel pudi-
„ citiæ, ex sola libidine seu pravo affectu hujus vitæ, &
„ pudicitiæ corporalis, præ salute spirituali nostra &
„ proximi: non autem quòd sit illicita ex vero affectu
„ justitiæ, & ordine charitatis.

PUNCTUM III.

An per Augustinum licita sit injusti invasoris occisio?

RESPONSIO.

AN non meritò quærat quispiam illud ex Jobi cap. 38. *Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis?* Qui Augustini doctrinam assuevit (judice Sorbona) non tam explicare quàm involvere: claram casûs apud Augustinum propositi Epist. 154. Definitionem rejicit ad alium spectantem aliò (in *libr. de mendacio*, quem librum Augustinus ipse vocat, *obscurum, anfractuosum, & omnino sibi molestum*) contra præcisam hinc Publicolæ interrogationem Epistol. 153, illinc Augustini, tunc demum Episcopi, responsionem. Hic enim alienas omnes Præfatoris limitationes dissipat, *negans planè fas ulli esse occidere invasorem*; hac una dumtaxat exceptione (quasi firmante

1. Retra. cap. ult.

firmante universitatem præcedentis negationis) *nisi fortè sit miles, aut publicâ functione teneatur.* Quò item spectat quod diu antè scripserat: *Quo pacto istos defendam, qui interficiunt* (vel hostem invadentem; vel insidiatorem sicarium, ut ibid. habet) *non invenio.* Lib. 1. de Lib. arb. cap. 5.

Nullius autem nisi Præfatoris notanda est *gravis neligentia*, quòd nimis in proprio sensu abundans consulere neglexit celebriores in hac materia Theologos circa Augustini sententiam, expressam breviter ab Authore Apolog. de illicitâ occisione invasoris. Esse autem ad mentem B. Augustini, è plurimis id asserentibus Theologis, quinque modò sufficient.

I. Augustinus Triumphus, aliàs de Ancona, vir doctus admodum & Religiosus S. Augustini, qui floruit anno Christiano 1301. libro de potestate Ecclesiast. quæst. 52. art. 3. negat licere occidere invasorem injustum, pro tuenda propria vita, suamque sententiam maximè confirmat authoritate B. Augustini lib. 1. de Libero arbit. cap. 5. & Epistola 154. ad Publicolā, rejicitque ut alienam à mente B. Augustini explicationem Præfatoris de affectu inordinato hujus vitæ: rejicit etiam Tostatus in cap. 5. Matthæi quæst. 109. etsi Augustinum ipse aliò, quàm Triumphus, trahat.

II. Dominicus Sotus è Dominicana familia, primis suæ ætatis Theologis annumerandus, qui etiam Tridentino interfuit, de Justit. & Jure, lib. 5. Art. 8. fatetur *Augustinum* sensisse

illicitam invasoris necem. Vide Card. de Lugo hic Tom. 1. Disp. 10. sect. 6.

III. Ludovicus Molina, anteà laudatus, de Justitia tract. 3. Disp. 13. docet, manifestè videri eam fuisse B. Augustini mentem.

IV. Subscribit Gabriel Vasquez Societatis JESU, (Basilio Pontio lib. 4. de Matrim. cap. 25. *Theologorum hujus ætatis facilè Princeps, qui sibi sit unus pro mille*) Tract. de Restitut. cap. 2. §. 1. dub. 6.

V. Denique, ne longior sim, Luisius Turrianus ejusdem Societatis, qui è 50. annis quibus Philosophiam & Theologiam maximo plausu docuit, totos triginta in prima Complutensis Collegii Cathedra exegit. Hic igitur de Justit. Disp. 27. dub. 1. ita asserit, Augustinum sensisse, illicitam esse invasoris injusti necem pro tuenda propria vita, ut testimoniorum Augustini quas varii adferunt interpretationes, ipse solidè impugnet. Vide etiam Franciscum Amicum celebratum in Italiæ & Germaniæ Academiis, Theologiæ Professorem, qui idem de Augustini mente censet Tom. 5. de Justit. disp. 36. sect. 8. Atque ita conclude inverecundam esse Præfatoris confidentiam, qui Theologiæ Doctores ejusmodi, *negligentiæ gravioris* accuset.

Profe-

Prosequitur Præfator.

" 3. *Infantes etiam baptizatos, nisi Eucharistiam*
" *percipiant, salvos esse non posse:* Ex nimia imperitia,
" quod *B.Aug.* more suo extendit hic sensum proprium
" Sacræ communionis Corporis Christi, ad incorpo-
" rationem Corporis mystici, id est, Ecclesiæ, per Ba-
" ptismum. ut observat ipse *Corn. à Lapide in 6. Ioan-*
" *nis,* in oppositam falsò citatus.

PUNCTUM IV.

De Communione parvulis necessaria, quis Augustini sensus?

RESPONSIO.

QUod hæretici quidam in Bellarminum ma-stigem suum machinati sunt, id in Authorem Apologiæ, nescio qua cavillandi peritia, molitus est Præfator. Hic enim, perinde ut illi, objectionem, relicta solutione pro assertione Authoris seu arripiunt, sive criminantur. Utrumque igitur expendamus, & objectionem, & positam in Apologia solutionem.

Primùm: objectionis vicem habet, quod dictum est, magni nominis Authores ita explicare Augustinum variis locis, ut senserit parvulis etiam baptizatis necessariam esse, ad salutem consequendam, Eucharistiæ perceptionem realem.

Quid in eo criminandum? An quia dictum id variis locis asseri à B. Augustino? At citavit Author Apol. *de Prædestin. Sanctor. lib. 1. cap. 13.* Et maximè lib. 1. de Peccator. meritis & remiss.

 cap. 20.

cap. 20. circa med. ad iſta verba Joannis 6: *Niſi manducaveritis carnem meam* &c. *non habebitis vitam in vobis.* ſubjicit: *Quid ultrà quærimus .... An verò quiſquam etiam hoc dicere audebit, quod ad parvulos hæc ſententia non pertineat, poſſintq́; ſine participatione Corporis hujus & Sanguinis in ſe habere vitam, quia non ait: Qui non manducaverit, ſicut de Baptiſmo, qui non renatus fuerit; ſed ait, Si non manducaveritis, velut eos alloquens, qui audire & intelligere poterant, quod utique non valent parvuli? Sed qui hoc dicit, non attendit, quia niſi omnes iſta ſententia teneat, ut ſine Corpore & Sanguine filii hominis vitam habere non poſſint, fruſtra etiam ætas major idcurat. Poteſt enim, ſi non voluntatem, ſed verba loquentis attendas, eis ſolis videri dictum, quibus tum Dominus loquebatur.* Poſſuntque addi alia loca allegata ab iis Authoribus, qui id adſcribunt Auguſtino.

Agmen ducet Cardinalis Hoſius, Epiſcopus Varmienſis, in Concilio Tridentino Præſes ſapientiſſimus. Is certè ex commemorato 20. capite & 23. *De Peccatorum meritis & remiſſ.* affirmat Auguſtinum agere de Sacramentali Euchariſtiæ manducatione propriè dicta & parvulis neceſſaria. In *confutatione Prolegomenon Brentii lib. 3. de Authoritate ſacræ Scripturæ.* Quod item dogma tribuit Chryſoſtomo, Cyrillo, Cypriano, & Hilario.

Atque illud eſt, quòd *Corn. à Lapide*, non immeritò huc adductus dicit: *Veteres* (jam citatos,

citatos, & alios Africanos) *praceptum sumenda Eucharistia, ad parvulos & infantes extendisse, quibus proinde reipsa dabant Eucharistiam. Ut patet ex S. Cypriano Tract. de lapsis, & ex S. Augustino Epist. 23. ad Bonifacium.* Ita Cornelius.

Id etiam tribuunt Augustino tres alii Authores citati in Apologia, Primus est *Joannes Maldonatus* Societatis JESU, qui vir Deus bone! cujus indefessam industriam in Theologis omnibus Græcis & Latinis evolvendis; Doctarum linguarum peritiam; Scripturæ, Sanctorumque Patrum scientiam; præstantissimum ingenium; eximiamque doctrinam, quam Gallia atque Europa universa suspiciat, omnes passim Scriptores deprædicant; unus inficeti oris Præfator, *nimia imperitia* accuset; quòd in *Caput 6. Joannis* scribat, *Augustinum* docuisse necessariam esse parvulis Eucharistiæ perceptionem ad salutem.

Alter author ejusdem de Augustino sententiæ, & paris imperitiæ damnatus à Præfatore, est Dionysius Petavius, quem ob omnigenam scientiarum eruditionem, & SS. Patrum fere ad miraculum cognitionem ita suspexit Europa, ut duo potentissimi Reges pro eo certarint, Ludovicus XIII. & Philippus IV. hic pro obtinendo ad Hispaniæ lucem, ille pro retinendo ad perpetuandum Parisiensis Academiæ splendorem.

Tertius est Joannes Adam Theologus & concionator, ab erudita calami & linguæ fa-

cundia,& præclaris in controversia Jansenistica lucubrationibus per Gallias nominatus: is, in libro quem Gallicè inscribit: *Calvin défait par soy-même*,&c. agnoscit ejus sententiæ Augustinum, de necessaria parvulis Eucharistiæ perceptione.

His accedit Eximius ac R. P. Joannes Mantelius prior Leodiensis Eremitar. S. Augustini, qui lib. 2. de Venerab. Eucharistia, cap.17. ait: illam sententiam, de necessaria parvulis Eucharistiæ sumptione, ita in Ecclesia Africana olim invaluisse, ut & *B. Augustinus S. Cypriani observantissimus illam tenuerit*. Paucisque interjectis sic concludit: *nec memini me legisse, qui id temporis Cypriano, aut Augustino hac in re adversati fuerint*. Ita modestus ille ac doctus Augustinianæ mentis interpres.

Nimirum audacior ex omnibus Præfator iste, non Hosii purpuram, non infulas, non Præsidis in Concilio Tridentino Majestatem, non eruditionem ejus eminentem; aliorúmque Theologorum minimè vulgarium veritus, *nimia imperitia* iis omnibus tribuit, in eum sensum Augustini mentem accepisse.

Modestiùs sanè (ut peritiorē controversistam decuit) P. Franciscus Davenportus, in *Systemate Fidei* (quod opus approbarunt R. P. Petrus Marchant ordinis Minor. Commissarius generalis, postque alios multos, ipsemet R. P. Hauzeur) cap. 40. etsi doceat Augustinum negasse necessariam parvulis Eucharistiæ perce-

perceptionem, nullâ tamen censurâ notat eos qui contrariam opinionem adscribunt Augustino; imò suggerit qua ratione explicare possint S. Augustini duplicem sententiam.

Age verò quâ ipse cumque volet contumeliâ Magnos illos Theologos Præfator afficiat, non in eadem est navi Author Apologiæ: imò verò (& hoc alterum est quod solutionis instar habet) affirmatè dixit: *Se non magnopere pugnaturum, ut ejusmodi errorem damnatum in Tridentino, tanto adscribat Doctori.* Quâ igitur ratiocinandi peritiâ, ejus illum sententiæ complicem facit, à qua se recedere protestatus est? aut ejusdem imperitiæ Reos indiscriminatim omnes facit, sive istum negantem, sive alios contrà affirmantes quidpiam de quadam Augustini opinione?

Apolog. pag. 149 extrem.

Sess. 21. can. 4.

Jam verò si Author Apologiæ non potuit ex hoc capite argui imperitiæ (quippe qui negavit, Augustinum circa Communionem parvulorum, quidquam sive figmenti sive erroris opinatum esse) falsum est quod Præfator §. 1. posuit. *B Augustino quatuor graviores errores fuisse ab Authore Apolog. imputatos.*

Prosequitur Præfator.

„ *Alteram terræ partem huic nostræ oppositam, nullis*
„ *Antipodibus habitatam esse.* Non est error Doctri-
„ næ, sed prudentissima B. Aug. conjectura, ex quibus-
„ dam indiciis S. Scripturæ, & experientia negativa,
„ eò usque.

PUNCTUM V.

Augustinus negat ullos esse Antipodas.

RESPONSIO.

NOnne illud est Andabatarum more clausis oculis pugnare, & incertum hostem casso ictu appetere? Quis enim hîc petitur Augustini adversarius? aut à cujus censoris nota defenditur? Nunquam Author Apologiæ, hanc de Antipodibus doctrinam S. Augustini, scripsit esse *Errorem doctrinæ*, quod unum hîc Præfator impugnat: sed neque ille admittet umquã ut dogma verosimile. Fatetur esse, veri nominis *figmentum*, & ita apud eruditos omnes censeri, ipsomet interprete Augustino, loco sæpiùs citato. Quorsum autẽ adscribere illi aut prudẽtiæ laudem, aut sequioris censuræ notam?

Nimirum hoc facere debuit Præfator, ne deseruisse Augustini patrocinium videretur; malè sibi arrogatum, cùm nemo ullam Augustino litem intenderet; pessimè defensum, quippe qui hanc S. Doctoris sententiam, in §. 1. *gravioris erroris* nomine designarit; neque tamen hic (etsi pugnantia eum in finem locutus) ab erroris nota vindicare potuit: nisi cùm se ridendũm propinavit, adscribens errori prudentiæ laudem. Qui

Qui tamen contra distinctionem Præfatoris dicere quidpiã vellet (salvâ tamen debitâ maximo Doctori reverentiâ) hæc duo velut problemata poneret: 1. An Augustinus negans Antipodas fecerit errorem propriè dictum. 2. An potiùs prudentissimam conjecturam. Duo Problemata.

Et primum quidem caput concludi hoc Syllogismo posset: Quisquis se existimat scire quod nescit, ille errat. Sed qui asserit non esse ulla ratione credendũ quod existant Antipodes, ille se existimat scire quod nescit. Igitur errat.

Major (ut vocant) est ipsius B. Augustini, & citatur Decreti 1. part. dist. 38. Cap. XI. *Non est consequens ut continuò erret quisquis aliquid nescit, sed quisquis se existimat scire quod nescit. Pro vero quippe approbat falsum: quod est erroris proprium.* Ita August. Declarari posset & cõfirmari ex S. Thoma in Q. de Malo q. 3. A. 3. *Error est approbatio falsorum pro veris: unde approbare falsa pro veris, addit actum quendam super ignorantia. Potest esse ignorantia sine hoc, quòd aliquis de ignotis sententiam ferat: & tunc ignorans est, & non errans. Sed quando jam falsam sententiam fert de his quæ nescit, tunc propriè dicitur errare.*

Minor patet: quia ita se existimat scire non esse Antipodes, ut neque ipse dubitet, neque alios ulla ratione dubitare velit; cùm oppositum censeat esse falsum; (quod patebit cùm mẽtem B. Aug. circa Antipodas declarabimus) & tamen quod ita scire se credit, nescit profectò, non tantùm per simplicem negationem

ſcientiæ (S. Thomæ, neſcientiam) ſed etiam per privationem & carentiam ſcientiæ, quæ ab eodem S. Thoma dicitur propriè ignorantia. Præſertim ſi potuit ea tempeſtate haberi cognitio certa Antipodum, de qua vide Joachim. Vidianum in Mela.

Ad declarationem minoris, ſtatuendum hîc quod dicit de Antipodibus B. Auguſt. lib. 16. de Civit. Dei cap. 9. init. *Quòd verò & Antipodas eſſe fabulantur, id eſt homines à contraria parte terræ, ubi ſol oritur, quando occidit nobis, adverſa pedibus noſtris calcare veſtigia, NULLA RATIONE CREDENDUM EST.* Ita Aug. qui etiam conatur perſuadere, id fieri non poſſe, quòd illa terræ pars, huic noſtræ oppoſita, tota ſit aquis obruta.

Alterum verò velut problema, vereor ne Præfator tueri non poſſit; An ſcilicet Anno Chriſti 408. qui negaſſet eſſe Antipodas, prudentiſſimam feciſſet conjecturam?

E quatuor partibus prudentiæ (à qua actus aliquis denominatur prudens) quas ponunt Ethici, duæ hîc deſiderari videntur.

Prima eſt memoria, eáque præteritorũ. Atqui etiam diutiſſimè ante Annum Chriſti 408. exploratum erat, eſſe viam propè Antipodas Africæ; idque ex hiſtoriæ ſacræ pluribus locis, (contra quod dixit Præfator) ex Interpretibus, & ex profanis hiſtoriis.

Primùm, ex cap. 8. lib. 2. Paralippomenon, ubi dicitur, ſervos Hiram abiiſſe per mare in *Ophir*, & *inde quadringenta quinquaginta talenta*

auri

auri attulisse ad Regem Salomonem. Est autem *Ophir* (ut Josephus longè Augustino senior, & S. Hieronymus Epist. 140. testantur) *Aurea Chersonesus*, regnum *Peguanum*, *Malaca*, & *Somatra*, in India Orientali, unde cum auro *Obriso* seu *Ophirso* dicuntur advecta *Ebur*, *simiæ*, *pavi*, *ligna odorata*, &c. Et Maffæus, lib. 16. hist. Ind. tradit, Pegusios stirpem suam referre ad exules Judæos, olim damnatos à Salomone ad *aurifodinas Ophir*. 2. Paralip. c. 9. v. 21.

Præterea, meminisse oportuerat ex Profanis historiis, quosdam olim fugientes Augusti Cæsaris potentiam, per Arabicum sinum, perque imam Æthiopiam, & mare athlanticum ad Gades Herculis enavigasse.

Denique Persicum sinum, & indicum eumque mare, Alexandri armis fuisse exploratum: insulasque *Trapobane* (ubi Ptolomæo lib. 7. nascuntur Berylli, & Hyacinthi in SS. Scripturis celebrati) & alias in illis tractibus nonnullas, quæ ex positu cœlorum & siderum deprehendebantur jam tum Antipodes esse Africæ. Ut hîc notat Lud. Vives.

Aliam prudentiæ partem ponunt Ethici, *intelligentiam*, quâ & ea perspicimus quæ sunt, & quidquid rei ex prudentia tractandæ definiendæque conveniat, callemus. Qui vellet contendere Augustini de Antipodibus sententiam, etiam ex hoc capite, non fuisse prudentissimam, diceret; ut prudentissimè definiatur quidpiam *non esse ulla ratione credendum*, oportet

scientiis

scientiis illis instructum esse quæ in cognitionem certam istius rei deducant; ac proinde oportuisset in hoc casu B. Augustinum aliquid saltem ex certissimis demonstrationibus Mathematicorum, Astrologorum, Geometrarum delibasse. Nam istarum scientiarum præsidio Hispani (ut notat Pererius Tom. & lib. 1. in Genes.) superiore sæculo ad Antipodas nostros pervenerunt: paucisque abhinc mensibus R.P.Martin. Martinius Soc.JESU (vir ab editis libris, historiis, Tabulis geographicis nostrorũ Antipodum celebratus) fassus est se in ea habitasse civitate, quã R.P. Nicolaus Trigaultius ejusdem Societatis, Anno 1617. demonstrabat esse diametraliter oppositam civitati Duacensi.

Sed hæc hactenus, quæ nunquam de Augustino dicere voluisset Author Apol. (neque ego nunc assero) alienus semper ab omni nota censuræ, tanto Doctori vel tantillum injuriosæ; nisi Præfatoris explicationi refellendæ necessaria censuisset. Nam, *non mihi placet*, ait AUgustinus, *cùm à carissimis meis talis esse existimor, qualis non sum.* vide suprà. Videat porro Præfator, qua ratione conciliare istæc pugnantia possit: 1. Negare dari ANTIPODAS, esse unum è *gravioribus erroribus*: id dicit §. 1. Præfationis. 2. Esse errorem facti: quæ ridicula est limitatio, & contra B. Augustini, & S. Thomæ definitionem. 3. Etsi sit error, esse tamen cum prudentissima conjectura conjunctum; cùm prudentiæ pars necessaria sit *intelligentia*, ignorantiæ contraria.

Prose-

Prosequitur Præfator.

§. 4.

Cætera quæ hac prima pagina Præfationis sequuntur ad ultimum paragraphum, quia longis verborum ambagibus, vix aliud efficiunt, nisi quas sibi ipsi laudes tribuit Præfator; ideò in tria contraham puncta.

PUNCTUM I.

Primò, Inducit Augustinum lib. 1. de Trinit. cap. 3. existimantem, tardiores ingenio opinaturos esse, aliud Augustinũ sensisse, quàm reverà sensit.

RESPONSIO.

ID si vel ipsi Præfatori (qui tantus sibi soli Theologus videtur) usu venisse comperimus in comprehendendo Apologiæ Authoris obvio sensu; quid mirum, si tenebrionum acies hebetior sit, quàm ut B. Augustini (Doctorum Aquilæ) sublimiorem sensum assequi valeat? Cujus notætātò se Reum minus putat Author Apolog. quantò in explicanda S. Doctoris mente, celebriores (ut vidimus) totó orbe Theologos, clarioresque (præ Anatomia Præfatoris) Interpretes secutus fuit. Ut propterea ab eo sibi dictum Præfator putare possit, quod citavit ex cap. ult. *de bono Persever. Qui me errare existimant, etiam atque etiam quæ sunt dicta considerent, ne forsassis ipsi errent.* Quod Præfatorem hactenus fecisse vehementer, nonquid demonstratum est?

PUNCTUM

PUNCTUM II.

Secundò, Vult Augustinum, ideò ab aliorum censura & correctione immunem, quòd etiam vigesimo ætatis anno omnibus subtilitate explicandi excelleret.

RESPONSIO.

Injurium est Augustinianæ authoritati (quæ certiore principio nititur) id pronuntiatum. Primùm, Quia ex hoc capite non esset magis à censura immunis, quàm Origenes, qui etiam ætatis anno 20, à Demetrio Alexandriæ Episcopo celeberrimæ Alexandrinorum Scholæ (ejus ætatis Theologicæ) post S. Pantænum, & Magnum Clementem Alexandrinum Præfectus, omnibus ingenii admirabilitate excelluit. Quam tamen comparationem tantopere Præfator refugit.

Deinde, absolutè non esset à censura & correctione immunis, cùm ingenii humani quantacumque subtilitas non eximat ab errore, neque à fallaci judicio. Qua de re optimè Tostatus Abulensis Episc. *Nullum*, inquit, *proprium humanum ingenium tanta est certitudinis, quòd errare non possit; nec tanta authoritatis, quòd ei manifestissima ratione assentiri debeat, vel credi, quòd ita sit quia illud asserit: sicut dicit Augustinus, & habetur in Decret. dist. 9. C. Ego solis, &c. sed de quolibet creditur, quòd errare possit.* Ita Tostatus.

2. P. defensor. cap. 81.

PUNCTUM

PUNCTUM III.

Tertiò, Laudat quandam comparationem, quam de doctrina S. Augustini fecit in sua Præfator Anatomia; sibiq; honorificum magnos inter Theologos (præ iis, quos mox inter Betsamitas despiciet) locum arrogat.

RESPONSIO.

Quàm fœda est illa punitio Philistinorum à Præfatore eodem loco commemorata, hîc à me studio honestatis prætermissa; an non tam fœtida est proprio laus in ore, velut Plauto nominatissimi multarum palmarũ militis? Aut in magnorũ consessu Theologorum, tantopere gloriandum de istius splendore Anatomiæ: in qua clarissimus veræ Theologiæ Sol Hipponensis *Augustinus* nullibi lucet obscuriùs? Alius profectò sensus in *Sorbona Schola*, cùm ab Authore Anatomiæ censuit *obscurari magis quàm explicari Augustinum.*

Alius Duacensis Universitatis, cùm in censura opusculi inscripti, *JESVS inter Doctores*, dixit eundem Authorem, *Odisse lucem, obscuritatem affectare*, &c.

Nimirum, quibus debilior est videndi acies, ea plurimum hebescit (quandoque ad cæcitatem) ex viciniore aut frequentiore solis aspectu. Ut risum moveant, dum cæci censent de coloribus, aut vani Prophetæ, bruta (ut Præfator mox dabit) fulmina mittunt: id patebit ex sequenti paragrapho.

§. 5.

Clarissimos Theologos Præfator comparat cum Betsamitis, *& sacrilego* Oza.

SI quo die Præfator vita fungetur, eodem reviviscat Comicus latinus, haud dubiè usurpet, una mutata voce, dictum lepidissimum, quo Chremeti aliàs illusit:

Exequias Theologiæ, *quibus est commodum ire, jam tempus est.*

Adeò enim Præfator jam olim de sua sibi plaudit Theologia Augustiniana, quasi ad ejus domesticum sinum redierit universa, *victrix ac triumphans*, à cæteris Theologis, tamquam alienis, vix eminus conspecta; nedum primo in limine salutata.

Id apertè significavit, claudens primam Præfationis faciem: in qua se veris (ut prædicat) Theologis, hoc est sibi consentientibus, triumphantis more, admixtum, segregat ab iis quos supra laudavimus Theologis. Nam de illis contemptim loquens: *Soli*, inquit, *Betsamitæ* Arcam fœderis doctrinæ Augustinianæ, *nimis leviter à longè intuentes, & Oza manum ei præsumptuosam, quasi ad aliquam correctionem admovens, in publico triumpho* (suæ forsitan disputationis 26 Januarii) *ultionem Divinam experiuntur*, an potiùs promiscuæ multitudinis cujus petulantia & libidine explodendos adversarios,

etiam

etiam Thesibus suggerebat impressis? Ita disertè Thesi 3.

Eadem nota contumeliosæ comparationis cum sacrilego *Oza* confixerat dudum Pontificios pro *Bulla Urbani VIII.* Doctores. Quam injuriam facultas Theologorum Duacensium insigni censura redarguit, ad §. 10. libri inscripti, *JESUS inter Doctores.*

Et verò quis ferat ab obscuro Scriptore, sanè à non valdè claro conferri cum *Betsamitis* ignaris, & sacrilego *Oza*, clarissima Theologiæ lumina, Ecclesiæ Columina Alphonsum Tostatum, Augustinum ab Ancona, Magistrum sententiarum, Cardinalem Hosium, Melchiorem Canum, Dominicos Sotum & Bañez, Guilielmum Estium, Molinam, Valentiam, Suarez, Vasquez, Turrianum, aliosque tum superioribus paragraphis laudatos, tum, si luberet, in sententiam Authoris Apologiæ citandos.

Ne igitur deinceps dictus Præfator, suam ignorantibus ita venditet lucubrationem (veriùs bis coctam cramben) inscriptam *JESUS inter Doctores*; videtur mihi futurum operæ pretium, si hîc ad calcem annectatur authenticum apographum ejus sententiæ, quam Universitas Duacensis tulit de ea, tunc nomine *Anonymi* edita, Anno 1648.

Divinè enim admonet B. Augustinus *in Epist ad Marcel. Magis amat objurgator sanans, quàm adulator dissimulans.*

Judicium Universitatis Duacensis de quodam impresso R. P. N. cui titulum fecit: *JESUS inter Doctores.*

NOs infra-scripti rogati sententiam supra scripto quodam Anonymi, cui titulus *JESUS* seu *Veritas media inter Doctores*, an hic author peccarit contra Bullam URBANI VIII. piæ memoriæ, quæ est confirmatio Constitutionum PII Papæ V. & GREGORII XIII. prohibentium quasdam Theologorum sententias.

Censemus omninò Anonymum hunc *malè agere*, quia *odit lucem*, se Anonymum venditans, in plerisque obscuritatem affectans, multa relinquens suspensa & suspecta; cùm tamen in materia hac, quæ est de gratiâ Dei, & Libero arbitrio, qui peccat in uno, dici possit omnium reus; adeò inter se connexi sunt errores & consequentiæ evidentiâ intelligentiam perstringunt, ut ad falsitatem antecedentis minùs attendat Lector.

Sequitur continua serie censura in 12. paragraphos. Deinde in ternas Difficultates, *ut author vocat.*

Tum addit:

Temerarium omninò hac in re censemus Anonymum, qui relictâ viâ Regiâ, imò Pontificiâ, semitam sectatur novam, quam vocans *mediam veritatem*, à veritate fatetur se deflectere, quæ Christus est, ejusque Vicarius; proinde novum errorem obtrudere pro veritate, cujus

cujus via recta est unica, hanc JESUS docuit per os Sanctorum PII V. (non per ôs Anonymi illius) neque debet ullus Summum Pontificem è Cathedra, in qua cum Christo sedet, in ordinem cæterorum Doctorum, qui falli docendo possunt, redigere; cùm sit ille Doctorum Doctor & Judex; multò minus sapuit Anonymus hic seipsum ac suum Judicium constituendo medium, seu à Bullà Pontificià aberrando in deterius, cujus proinde læsæ reus est, ac violati Juris Pontificum; quia se ultrò ac manifestè in eas opiniones implicat, pro eis loquitur, ac de iis quas ut hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes respectivè, ac quæcumque super iis verbo scriptóque emissa præsentium auctoritate damnamus, inquiunt Pontifices Maximi citata Bulla, circumscribimus & abolemus, deque iisdem & similibus posthac quoquo modo loquendi, scribendi & disputandi facultatem interdicimus; qui secus fecerint, &c. Ita actum Duaci 7. Decembris 1648. *Erat signatum.*

THEODORUS VAN COUVERDEN S. Theol. Doct. & Profess. ac pro tempore Decanus.

FRANCISCUS SYLVIUS S. Theol. Doctor & ejusdem Regius ac ordin. Professor.

VALENTINUS RANDOUR S. Theol. Doctor & ejusdem Regius ordinariusque Professor Duaci.

NICOLAUS LE LONG S. Theol. D.[r] & Profess.

Deni-

Denique sic erat authenticatum.

Hæc copia verbo ad verbum concordat cum suo originali per eximios Doctores facultatis Theologicæ Duacenæ signato, quod ego Notarius Apostolicus, ac ejusdē facultatis Bedellus. *testor*

ANTONIUS DICULOT *Not. Apost. & Facult. Theol.* BEDELLUS.

SUMMA

SUMMA DICTORUM
PRIMA PARTE.

Habes, Lector optimè, ex hac prima parte:

1. *Calumniam esse, quod Præfator scripsit, B. Augustino imputari 4. errores ab Apologiæ Auctore, cùm ipse ne semel quidem nomen erroris usurparit.*
2. *Alteram esse calumniam, quod dictus Præfator criminatur de 4. illis perperam B. Augustino imputatis ab Apologiæ Auctore; cùm hic disertè dixerit, nolle se tanto Doctori tertium ex istis attribuere.*
3. *Non esse in Auctore Apologiæ* gravem ignorantiam, negligentiam, imperitiam, *ea dixisse de B. Augustino, & retulisse, quæ viri doctissimi, peritissimi, & ab omnibus eruditioribus Theologis tales iudicati, dixerunt, & in suis libris ediderunt.*
4. *Cavendam esse doctrinam Præfatoris, quem Universitas Duacena vocat* Temetarium, qui relicta via regia, imò Pontificiâ, semitam sectatur novã, &c. qui in plerisq; obscuritatẽ affectat, multa relinquit suspensa & suspecta, &c.

Est

Est autem Universitas Duacensis illa, quam recentissimè INNOCENTIUS Papa X. (datis litteris 21. Martii 1654.) dicit, *Doctrina & pietate esse de re Catholica optimè meritam.*

Finis primæ partis.

PRÆFA-

PRÆFATIONIS MALE-ASSUTÆ

AD REPROBATIONEM APOLOGIÆ MARESIANÆ

PARS ALTERA.

Prosequitur Præfator.

§. I.

„ Sed si Author hujus Apologiæ possit excusari à
„ majori zelo hujus Constit. Apostolicæ, quàm scien-
„ tia doctrinæ Augusti. qua fide & conscientia potest
„ abuti humilitate *S. Aug.* contra expressam ejus
„ mentem?

RESPONSIO.

PUNCTUM UNICUM.

An abutatur humilitate B. Augustini, qui tribuit ei quæ ipsemet de se dicit ex humilitate.

CRESCIT progressu, ceu torrens, Præfatoris maledicendi licentia. Vix, aut ne vix quidem, concedendam putat Authori Apologiæ ullam (quam vehementior impetus meretur) gravioris criminis excusationem; ne quidem à zelo tuendæ Constitutionis Pontificiæ majori, quàm scientiâ doctrinæ Augustinianæ.

Ampliùs contendit, cum nempe & deliberatâ, & ex certa criminis quod patrabat conscientiâ,

ſcientiâ, in malam partem abuſum eſſe verbis illis, quæ ex humilitate B. Auguſtinus de ſe ſcripſerat.

Itane verò mentis Auguſtinianæ Anatomiſta Præfator, *S. Auguſtinum* è Chriſtianorũ cœtu extruſum amandat ad Phariſæorũ dealbata ſepulchra? Quid? ſanctus ille Doctor ex Phariſaïcis dolis conſutus, aliud ore & ſcripto in ſpeciem prompſiſſet, ad ſui contemptum exteriorem; & aliud quiddam excelſiùs clauſum in animo ſenſiſſet? Atqui illud eſt ſincera B. Auguſtini humilitate abuti, ad inſignem ſuperbiam ipſi impingendam, contra ejus & Chriſti Domini mentem: illud eſt plus quàm centum errores, materialesque hæreſes ſanctiſſimo doctori adſcribere.

Sileat Præfator, ipſe nobis ediſſerat Auguſtinus, in quo veræ humilitatis natura conſiſtat, contra Pelagianorum errores. *Libro de Natur. & Grat.* cap. 34. ſub initium: *Ait enim* (verba ſunt Auguſtini) *acutiſſimè atque veriſſimè, in qua magis parte humilitas collocanda eſt: ſine dubio falſitatis, ſi in ea quæ veritatis probatur eſſe, ſuperbia eſt. Ac per hoc placet illi, & rectè placet, in parte veritatis, non ut in parte falſitatis magis humilitas collocetur,* &c. Et paucis interjectis: *rectiſſimè placet hoc omninò verum non eſſe, ſi dixerimus quia peccatum non habemus, ne humilitas conſtituta in parte falſitatis, perdat præmium veritatis.*

Ex hoc capite patet, quod neceſſe ſit, illud eſſe aut exiſtimari verum, quod aſſerimus di-

ctum fuisse ex humilitate, sive ab Augustino, sive ab alio.

In eundem sensum loquitur S. Doctor ibid. cap. 36. ubi asserit, excepta S. Virgine MARIA, omnes Sanctos & Sanctas, dum hîc viverent, congregatim collectos & interrogatos, utrum essent sine peccato, &c. unanimi voce clamaturos, ex 1. Joannis cap. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus,* (cætera quæ sequuntur, subticet Præfator in sua Anatomia ad hunc locum, nec quidquam etiam attingit, incertum quare, de humilitatis veritate, ex capite præced. 34.) *& veritas in nobis non est. An illud humiliùs responderent fortasse, quàm veriùs? Sed huic jam placet, & rectè placet laudem humilitatis, in parte non ponere falsitatis. Itaq; hoc si verum dicerent, haberent peccatum, quod humiliter faterentur, quia veritas in eis esset,* &c.

Igitur, si B. Augustinus ista (quæ Author Apolog. attulit) dixit & scripsit de se ex humilitate, necesse est, dixisse ex veritate, & sic reipsa se habuisse. Adeóque ex mente & verbis B. Augustini sic in proposito concludendum est, nulla ipsius injuria.

Itaque hoc (quod nimirum de figmentis humani cordis dixit Augustinus, de quo mox) *si verum dixit, habuit figmenta, quæ humiliter fatebatur, quia veritas in eo* (sic fatente) *erat.* Ac propterea bona fide & conscientiâ, & ex mente B. Augustini locutus est Author Apologiæ, cùm eidem S. Doctori ea attribuit, quæ

de se ipse scripserat ex humilitate: abusurus aliàs sincera humilitate B. August. ad contumeliam irrogandam, si ejus expressam mentem aliorsum traxisset.

Prosequitur Præfator.

§. 2.

„ Ut pag. 148. 149. scribit Augustinus de se lib. 4. de
„ Trinit. cap. 1. Cor suum utpote humanum, multa
„ figmenta parere, cujusmodi sunt, &c. Contra hunc
„ expressum sensum : *Sentio quàm multa figmenta*
„ *pariat cor humanum : & quid est cor meum, nisi*
„ *humanum? Sed oro Deum cordis mei, ut nihil ex eis*
„ *pro solido vero eructem.*

RESPONSIO.

PUNCTUM UNICUM.

An ideò Augustino figmentum nullum excidit, quòd Deum orarit, ne ulla pareret?

PUgnat Præfator, Authorem Apologiæ fecisse contra exprèssum sensum Augustini lib. 4. de Trinit. (non capite 1. sed) in procemio, quando ea figmenta ei attribuit, quæ sibi ipse ex humilitate adscripserat. Ut autem ostendat esse *contra expressum B. Aug. sensum*, ponit orationem ejusdem ad Deum, ne pariat figmenta ulla.

Rem è tenebris evolvamus. Posuerat Augustinus duas (ut vocant) has præmissas. *Majorem*: *Sentio quàm multa figmenta pariat cor humanum*. *Minorem*: *Et quid est cor meum,*

nisi cor humanum? *Conclusionem* necessariam Author Apolog. hanc collegit: *Sentio igitur quàm multa figmenta pariat cor meum.*

At quomodo id Augustinus sentit; hoc est, experiendo discit, si nulla (ut vult Præfator) figmenta umquam parit? *Sed* (ista est oratio Augustini) *oro Deum cordis mei, ne nihil ex eis* (figmentis) *pro solido vero eructem.*

Accipiat Præfator, *solidum verum* (quod haud ineptè explicetur, pro veritatibus certò testatis) quo volet modo: quæ deinde consecutio est?

Oravit Augustinus Deum, ne unquam in scribendo (aut si placet, in loquendo) labatur in aliquod figmentum humani cordis: ergo numquam lapsus est. Numquid etiam oravit Apostolus Paulus & sæpiùs, ut à stimulo carnis liberaretur: an sequitur fuisse liberatum? Numquid oravit ipse Augustinus frequentissimè, ut *liberaretur à malo*; hoc est, peccato: An propterea numquam peccavit ampliùs? Attamen Deus longè faciliùs permittit produci ab homine quodpiam figmentum (putà quoddam impropriè dictum intellectus peccatum) ad humiliationem, præsertim in viris ingenii excellentioris; quàm propriè dicta voluntatis peccata: in quæ tamen S. Augustinus (more aliorum Justorum) ex fragilitate humana labebatur subinde, ita permittente Deo.

Nihil igitur peccavit Author Apologiæ contra expressum B. Augustini sensum, cùm

ſcripſit eum (quando carebat certiſſimis Eccleſiæ oraculis) figmenta quædam humani cordis, peperiſſe.

Proſequitur Præfator.

§. 3.

„ Pag. 154. ex lib. *de Dono* (*Author Apolog. ex ſua* „ *editione & Bellarm. poſuit de Bono*) *perſeverant.* „ cap. 21. *neminem velim ſic amplecti omnia mea ut* „ *me ſequatur, niſi in quibus me non errare perſpexit.* „ *Nam propterea nunc facio libros in quibus opuſcula* „ *mea retractanda ſuſcepi*, &c. Quaſi verò hæc tam „ humilis ſubmiſſio, & ſui ipſius correctio, ſit ullius „ reliqui erroris confeſſio: quin potiùs totius reliquæ „ doctrinæ confirmatio; hac ipſa exceptione paucorum, „ firmante regulam reliquorum.

RESPONSIO.

PUNCTUM UNICUM.

Præfator hic aberrat à ſcopo & Authoris Apologiæ, & ſuo, & B. Auguſtini.

QUàm loquendo tam concipiendo, tenebras rebus clariſſimis Præfator offundit. Hinc neque Authorem Apologiæ, neque ſe neque B. Auguſtinum ſatis intelligit.

I. Primùm attulerat Author Apolog. locum iſtum *de Bono perſeverantiæ*, ut confirmaret, *S. Auguſtinum numquam aut tam arroganter de ſe, aut tam projectè de Chriſti Vicario ſenſiſſe aliquando, ut ſuam (hominis utique privati) authoritatem, cum indubitatis Summorum Pontificum ſanctionibus conferri, nedum præferri fas eſſe judicaret.* Hoc

Apolog. Append. p. 2. §. 3. pag. 154.

Hoc intentum Authoris Apologiæ probat ista Augustini sententia, si integra ponatur, uti est in Apologia, & mox restituetur. Supponit etiam idem Author Apologiæ, quæstionem facti, quòd S. Augustinus suam (uti necessariò debuit) authoritatem infra Pontificum Romanorum definitiones constituerit; & ad eos recurrerit, tamquam ad Judices controversiarum &c. infallibiles, ex Christi promissione, & speciali commissione, de qua re consulendæ sunt Augustini Epistolæ &c. Quorsum igitur Præfator dictum Augustini locum adfert?

II. Alterum est: nimirum aliorsum planè quàm vel Author Apolog. attulerit; vel ipsemet Præfator §. 1. statuerit; vel Augustinus expresè intenderit. Habemus jam de scopo Authoris Apologiæ. De proposito Præfatoris, repetendum ex §. 1. II. partis Præfationis, ubi vult demonstrare, *mala fide, malaq; conscientiâ Authorem Apologiæ abuti humilitate S. Aug. contra expressam ejus mentem*. Eò enim refert tres paragraphos; præcedentem (qui est secundus) & hunc tertium, ac quartum sequentem: quod patet ex particula, *ut*, quam Præfator facit relativam ad verba postrema paragraphi primi, cum respectu ad 3. consequentes. Attamen hîc istum Augustini locum (incertum quâ fide, pro certo contra mentem S. Doctoris) adducit Præfator ut probet, Beatum Augustinum retractatione quorundã errorum, cætera sua dogmata confirmasse. Id tamen falsum esse *vide §. 1.*

D iv demon-

demonstratum est prima part. hujus Spongiæ §. 1. ex defensorio Tostati.

III. Tertium superest de mente B. Augustini, quæ manifesta erit, si integram ejus sententiam ex Apologia restituamus. Sic igitur habet. De Bono persev. cap. 21. *Neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis in quibus non errare perspexerit. Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi* (quæ sequuntur Præfator supprimit; quorsum? nimirum illius opprimebant calumniam) *ut nec meipsum in omnibus secutum fuisse demonstrem; sed proficienter me existimo, Deo miserante, scripsisse, non tamen à perfectione cœpisse: quandoquidem arrogantiùs loquar, quàm veriùs, si vel nunc dici me ad perfectionem sine ullo* ERRORE SCRIBENDI *jam in ista ætate venisse.*

Aug. de bono persev. cap. 21.

Itaque ea est B. Augustini mens hoc loco, ut declaret: Primò, se nolle sua scripta tanquam irrefragabilia recipi, nisi in iis in quibus perspicietur non errare. Secundò, falsum esse, quod ipse vel in extrema ætate attigerit perfectionem scribendi (seu libros componendi) sine ullo errore.

Ex quibus manifestum est Præfatorem: Primùm, nihil habuisse, quod ex hoc loco meritò criminaretur de Authore Apologiæ. Deinde aberrasse à scopo sibi proposito. Postremò abusum esse sententia S. Augustini, contra ejus mentem, conceptis verbis expressam.

Prose-

Prosequitur Præfator.

§. 4.

„ Pag. 154. §. 4. *Augustinus* non est irrefragabilis
„ authoritatis. Ex libro 3. de Trinit. cap. 1. *Noli lit-*
„ *teris meis, quasi Scripturis canonicis inservire.*
„ Quasi authoritas irrefragabilis sit æqualis canonicæ:
„ cùm hæc sit divina, illa possit esse humana, sed
„ supra nos.

RESPONSIO.

SI Author Apolog. concederet acceptam ab se hoc loco *Authoritatem irrefragabilem* pro illa quæ demum æqualis invenitur *infallibili*, & benè ad propositum respondisset, neque à mente B. Augustini citati & citandi ablusisset, neque propterea Authoritatem Augustinianam quantùm Præfator depressisset. Quod ex sequentibus punctis patebit.

PUNCTUM I.

Debuit Author Apologiæ in Authoritate irrefragabili, *hîc agnoscere* infallibilem,

Si Apologiam, quam Præfator tam operosè impugnat, non oscitanter legisset; sine dubio observasset, aliam *irrefragabilitatis* acceptionem esse Jansenio (qui in Apologia impugnatur) & sibi aliam Præfatori: qui propterea neque hîc criminari quidquam fortasse voluisset; neque supervacuis (quarum res & Annus sCanDaLVM) Disputationibus se ridendum

proposuisset, *in facie Ecclesiæ Leodiensis*; contra quàm scripto furtim edito jactat.

Jansenius ergo eam B. Augustino *irrefragabilitatē* tribuit, quæ parem cum canonicis Scriptis pariat authoritatem, & à qua recedere tantillum, sit nefas.

Iansen. Tom. 2. lib. proœmiali cap. 13.

Ea de caussa, libro procemiali cap. 13. asserit: universam *B. Augustini* doctrinam, contra Pelagianos, de gratia Dei (de qua etiam hodie disceptant Catholici Doctores) tradi ab Augustino, *tanquam Doctrinam Evangelicam, & Apostolicam, cui nemo posset sine fidei Catholicæ læsione refragari.*

ibid. cap. 4.

Proximè sequenti capite prædicat eandem Doctrinam tanquam *Evangelicam, Apostolicam, Catholicam, cælestis & irrefragabilis authoritatis.* Vide etiam alium locum apud Stephanum des Champs, *de Hæresi Janseniana* lib. 3. cap. 4.

Atqui ejusmodi irrefragabilitas, apud omnes Theologos, ipsumque Præfatorem, *est æqualis canonicæ, est divina & non humana*; est denique talis, quæ ne ipsi ab ullo charorum arrogaretur, edicebat Augustinus (quod maximè ad propositum attulit Author Apol.) *Noli meis litteris quasi Scripturis canonicis inservire.* Hæ enim, & non illæ, sunt *Evangelica, Apostolica, cælestis & irrefragabilis authoritatis, cui nemo possit sine fidei Catholicæ læsione refragari.*

August. lib. 3. de Trin. in Proœm.

PUNCTUM

PUNCTUM II.

An Augustinus aliam irrefragabilitatem, quàm Scriptorum canonicorum agnoverit?

Ille probandi modus, quo Author Apologiæ usus est, ut contra Jansenium ostenderet, Augustinum non esse *irrefragabilis authoritatis*, perpetuò usitatus fuit B. Augustino: semper enim sic ratiocinatur: ideò sua vel aliorum Patrum (puta Cypriani, Hilarii, Chrysostomi, Ambrosii, &c.) Scripta, non esse irrefragabilis authoritatis; hoc est (ut explicat Epist. 7. & 48.) non esse ejusmodi *ut contra sentire non liceat:* quia non sunt è numero librorum canonicorum. Aliquot è multis loca proferam.

1.° De natura & gratia contra Pelagian. cap. 61. cùm dixisset de Adversario: *Ea testimonia qua non quidem de Scripturis canonicis, sed de quibusdam Catholicorum Opusculis .... etiam de libris meis interponere voluit, pertractare quid opus est? Maximè quoniam me in hujusmodi quorumlibet hominum scriptis liberum, QVIA SOLIS CANONICIS DEBEO SINE VLLA RECVSATIONE CONSENSVM.* Igitur ibi sola Scripta canonica sunt B. Augustino irrefragabilis authoritatis.

2.° Epistola 48. ad Vincentium: *Noli ergo, frater, contra divina tam multa, tam clara, tam indubitata testimonia colligere velle calumnias ex Episcoporum Scriptis, sive nostrorum, sicut Hilarii, &c. Primò, quia hoc genus litterarum ab authoritate canonis distinguendum est. Non enim sic leguntur, tam-*

tamquam ita ex eis testimonium proferatur, ut contrà sentire non liceat, sicubi fortè aliter sapuerint, quàm veritas postulat.

Istum B. Augustini locum adfert Franciscus Titelmannus Hasseletensis (de Consider. Dialect. l. 5. c. 34.) ex Franciscano Observante, majoris desiderio perfectionis, Capucinus doctrina & virtute celebris: (vide Compend. Hist. Leod.) & ex eo probat, dogmata Patrum quorumcumque non esse irrefragabilia, & in hoc opponi canonicis Scripturis; additque: *interdum licet illorum* (Patrum) *authoritati cum rationabili modestia refragari, interdum etiam corrigere errorem cum reverentia.* Subdit deinde locum (quo à censura illi absolvantur, qui Augustini errores notarint) libr. 4. de Anima & ejus origine capite primo initio: *Neque negare debeo, sicut in ipsis moribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possint justo judicio, & nulla temeritate culpari.* Ita B. Augustinus.

Epist. 19. 3.° In Epistola ad Hieronymum, postquam illusionis periculum denuntiavit, si cum amico Doctore ita disputemus, ut quidquid dixerit necesse sit approbare, subjungit: *Ego enim fateor charitati tuæ, solis eis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremq; deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam .... Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinaq; præpolleant; non ideò verum putem, quia ipsi*

ipsi ita senserunt; sed quia mihi vel per illos auctores Canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non abhorreat, persuadere potuerunt, &c. Ubi ex toto contextu (supra id quod intendimus) videre licet primò: Quomodo, in aliis quàm Canonicis libris, censeat Augustinus dici posse Auctorem errasse, sine ulla cujusquam injuria. Secundò, quomodo putet auctorum non Canonicorum examinandam esse doctrinam, etiam ad Rationis trutinam contra Nou-Augustinianorum consilia, qui ne de absurda doctrina, quam spargunt, convincantur, sequacibus suis effodiunt rationis oculum. Tertiò, per illa verba quæ ad Hieronymum dirigit (*nec te, mi frater, sentire aliud existimo*, &c. *non te arbitror sic legi tuos libros velle tamquam Prophetarum*, &c. *Absit hoc à pia humilitate, & veraci de temetipso cogitatione.*) per illa, inquam, verba videre licet quàm alienum existimet à pia Doctoris Ecclesiastici humilitate, & veraci de seipso cogitatione, putare libros suos erroris omnis expertes esse.

Fuit igitur etiam ipsius B. Augustini & pia hæc humilitas, & verax de seipso cogitatio: ac proinde, qui de ipsius Scriptis aliter sentiunt, mendacem faciunt, quæ verax supponi debet ejus cogitatio.

4.° Libro undecimo contra Faustum, post *cap. 5.* quam de authoritate canonicarum Scripturarum similia dixit iis, quæ ad Hieronymum, subdit: *In opusculis autem posteriorum, quæ &c.*

sed

sed nullo modo illi sacratissimæ canonicarum Scripturarum excellentiæ coæquantur, &c. Itaque in eis si qua forte propterea dissonare putantur à vero, quia non ut dicta sunt intelliguntur, tamen liberum ibi habet lector, auditorq́; judicium, quo vel approbet quod placuerit, vel improbet quod offenderit. Et ideo cuncta hujusmodi, nisi vel certa ratione, EX ILLA CANONICA AVTHORITATE DEFENDANTVR ..... SI CVI DISPLICVERIT, AVT CREDERE NOLVERIT NON REPREHENDITVR.

Hîc etiam Augustinus, ideò plenam dat ab aliis libris dissentiendi (seu refragandi) facultatem, si cui videatur non esse verùm quod dicunt; quia non sunt libri Canonici, soli apud ipsum irrefragabiles.

5.° Libro 4. contra duas Epistolas Pelagian. ubi testimoniis SS. Cypriani & Ambrosii, hanc cautionem præmittit: *Non quo Canonicis libris à nobis ullius disputatoris æquetur authoritas, tamquam omnino non sit quod meliùs, seu veriùs ab aliquo Catholico quàm ab alio itidem Catholico sentiatur; sed ut admoneantur qui putant istos aliquid dicere,* &c.

cap. 8.

Vides, ut constanter censeat, solis Canonicis libris nefas esse dissentire; quòd nihil eis meliùs, seu veriùs ab alio aliquo Scriptore sentiatur.

PUNCTUM

PUNCTUM III.

Obſervatiuncula ex doctrina precedēte B. Auguſtini, neceſſaria non Baianis magis quàm Præfatori.

1. Ex loco B. Auguſt. proximè laudato colligit R. P. Franciſcus Annatus Societ. JESU Theologus (de Pontificia, Auguſtinianáque authoritate, à calumniis vindicata optimè meritus) nullum eſſe Catholicum, quo non poſſit alius item Catholicus, aliqua in re melius ſentire. Nempe quia nullus omnino eſt, qui falli non poſſit, quamcumque materiam ad diſputandum ſumpſerit. Et quia minimè conſequens eſt, ut ſi doctiſſimus quiſpiam in aliquo fallitur, ceteri omnes minùs docti eadem in re fallantur, quaſi verò inemendabilis eſſet humanitus error doctiſſimi; cùm fieri poſſit, ut ſalva doctrinæ majoris prærogativâ, indoctus aliquid videat, quod fugit doctiorem: inde fit ut doctiſſimus quiſque Catholicus emendari poſſit à minùs docto, plura quidem neſciente quæ doctori manifeſta ſunt; ſed tamen & aliquid ſciente, quod illum latet. Hæc magnus ille Theologus ex mente B. Auguſtini expreſſit: quæ prorſus affinia ſunt iis quæ doctiſſimus Toſtatus Epiſcopus Abulenſis diu antè ſcripſerat Defenſorii 2. parte cap. 18. ſub fin. §. *Sed nunc objiciunt*, &c. Ubi adducit celeberrimam illam ſimilitudinem (ob quam immeritò vapulat apud quoſdam Theologos Ludovicus Molina

contra Baianos lib. 8. c. 5

Toſtat. Defenſ. 2. part. c. 18.

Molina) de pusillo homine seu Nano, qui elatus in humeros Gigantis, longiùs quàm gigas ipse videt.

2. Ex testimoniis citatis B. Augustini liquidò constat, nullum esse authorem non-Canonicum, qui legi non debeat cum ea præsumptione, quòd falli in aliquo possit: quod verum esse etiam respectu B. Augustini disertè scripserunt Tostatus multis locis, Melchior Canus, Alphonsus à Castro suprà laudati; item Joannes Viguerius, Dominicus Sotus, Domicus Bañez, Bartholomæus Medina, Gabriel Pennotus, & alii multi, ut mox; ex eó ostendentes B. Augustinum non esse irrefragabilis authoritatis, ne quidem in sensu Præfatoris.

3. Ut B. Augustinus suis & aliorum non-canonicorum Scriptorum lectoribus copiam liberam fecit discutiendi, an ejusmodi Scriptores fallantur; ita huic discussioni quatuor assignat regulas, ut de illa fallacia constet; Scripturam; sensum aliorum Scriptorum; concilia, quibus etiam Ecclesiæ sensus comprehenditur; & lumen naturalis rationis. Quæ regulæ partim in supradictis assignantur, partim etiam libro 2. de Bapt. contra Donatist. cap. 3. *cap. 8.*

4. Ejusmodi seu suspicione, seu discussione nullam fieri injuriam Sanctis Patribus, sed salvam esse quæ illis debetur honorificentiam; *Quamvis inde sequatur* (ait P. Annatus) *ipsorum doctrinæ improbatio.* Quod multi (Augustinum Hipponensem secuti, circa Chrysostomi & *contra Baian. lib. 8.*

Ambro-

Ambrosii, aliorumque refragandam authoritatem) graviores Theologi fecere, & fieri secum posse testatur sæpiùs Augustinus; nominatim Epistola 7. ad Marcellinum, ubi: *Epistolæ tuæ*, inquit, *habent quæstionem mihi propositam ex libris non divinis, sed meis quos scripsi de libero arbitrio. In talibus autem quæstionibus non multum laboro, quia etsi defendi sententia mea liquidâ ratione non potest, mea est, non ejus authoris cujus sensum improbare fas non est, etiam cùm eo non intellecto, hoc inde sentitur, quod improbandum est. Ego proinde fateor, me ex eorum numero esse conari, qui proficiendo scribunt, & scribendo proficiunt.*

5. proinde calumniam esse quòd, post Baïanos, Præfator ausus est, ejusmodi improbationem, & dissensionem tribuere sacrilegæ temeritati, superbiæ; detractioni: contra quàm ex Augustino jus canonicum docet Distinctione 9. ubi quæ retulimus comprobantur. Quibus illud etiam addi potest ex Aug. lib. 1. de Trin. cap. 2. & 3. *Nec pigebit autem me sicubi hæsito quærere, nec pudebit sicubi erro discere. Proinde quisquis hæc legit, ubi pariter certus est, pergat mecum: ubi pariter hæsitat, quærat mecum: ubi errorem suum agnoscit, redeat ad me: ubi meum revocet me.* ubi manifestè testatur S. Doctor, nullam esse necessitatem vel absolvendi ipsius opera ab omni suspicione erroris, vel eidem tamquam irrefragabili, nulla discussione præmissa, in omnibus adhærendi.

PUCNTUM IV.

Irrefragabilem in doctrina debere etiam esse infallibilem.

Ex iis quæ dicta sunt toto hoc 4. paragrapho, constat nihil Præfatori caussæ fuisse, cur Authorem Apologiæ tot scriptis & disputationibus criminaretur, quòd hic negasset B. Augustinum esse *irrefragabilis authoritatis*; hoc est, in sensu Jansenii (contra quem agebat) *Canonicæ, Evangelicæ, Apostolicæ, cælestis, infallibilis authoritatis.* Quòd autem pugnat Præfator *irrefragabilem* pro *infallibili authoritate* accipiendam non fuisse. Respondemus primò, agenti hîc cum Jansenio, aliam acceptionem, futuram fuisse de subjecto non supponente. Secundò, Augustinum (ut patet ex dictis) etiam accepisse *irrefragabilem* pro *infallibili*, seu canonica authoritate. Tertiò, Eodem etiam modo dictum fuisse à Francisco Titelmanno in Dialectica (ubi docentur propriæ acceptiones vocum) nullam esse *irrefragabilem* authoritatem, nisi quæ sit *infallibilis & canonica.* Quartò, Gabrielem Pennottum (ex ordine Canonicor. Regular. Abbatem S. Mariæ Pacis de Urbe, in Romana Curia Procuratorem Generalem, ac Theologum eruditissimum) in *propugnaculo humanæ libertatis* lib. 5. cap. 16. num 5. (quod opus à Sancta Generali Inquisitione approbatum fuit) docere; non omnem sententiam Augustini facere authoritatem insolubilem, sed

Consid. Dialect. l. 5. c. 34.

solius

solius esse Scripturæ facere authoritatem irrefragabilem. Quintò, Etsi in conceptu formali distinguantur authoritas infallibilis & irrefragabilis, attamen à parte rei identificantur; ut eadem demum in radice sit infallibilis, quæ est irrefragabilis. Declaratur magis: habet se infallibilitas ad doctrinam quæ dicitur esse infallibilis, per modum differentiæ essentialis: irrefragabilitas autem per modum proprietatis tantùm, (quemadmodum in homine rationalitas & risibilitas) profluentis ab illa, secundùm modum nostrum concipiendi. cùm hæc vera sit caussalis propositio; ideò est irrefragabilis, quia infallibilis; non contrà.

Si verò quæratur, cur doctrina irrefragabilis, debeat in radice esse infallibilis; hæc est ratio, (fundatissima in B. Augustini suprà citatis testimoniis, & in observationibus 1. 2. 4. 5.) quòd, cum omnis doctrina quæ non est infallibilis, sit errori obnoxia, & proximum sit (ait Alphonsus à Castro suprà) ut qui falli potest, idem sit falsus; sequeretur teneri nos, & sæpissimè exponere errandi periculo, ejusdem conscios; & aliquando falsam omnino doctrinam approbare. Quæ non tantùm ab Augustini sententia, sed ab omni ratione aliena sunt.

PUNCTUM V.

Authoritatem Augustinianam magis deprimi à singulari Præfatoris explicatione, quàm à communi Theologorum, petita ex approbatione Ecclesiæ.

Ut Præfator probet Augustinum esse irrefragabilis authoritatis, dicit habere se ad omnes Catholicos, sicuti se habent Plato, Aristoteles, aut alii magni nominis Magistri respectu suorum discipulorum. Nominatim verò usurpat, quod sive disputans dicere solitus erat Pythagoras, sive ipsi Magistro Pythagoræi tribuebant venerationis caussâ, *αὐτὸς ἔφα, ipse dixit.*

Quæ Authoritas Magistri in Discipulos prorsus profana est, neque authoritatem B. Augustini, approbatione Ecclesiæ consecratam, *in subsellium S. Sedis Apostolicæ* (quod toties Præfator jactat) satis *elevat.*

Aliam autem Sacratiorem authoritatem B. Augustino tribuit Author Apologiæ, manantem ex Approbatione Ecclesiæ.

Porrò quænam ex ejusmodi Ecclesiæ approbatione cùm S. Augustini, tum aliorum Patrum operibus authoritas accedat, accuratè Tostatus exponit, & quidquid inde roboris ejusmodi libri accipiant 5. capitibus complectitur.

Tostat. Defens. part. 2. cap. 83.

Primum est, *Quòd Ecclesia concedit expressè omnibus Christi fidelibus, quòd legant ea:* atque hac perhonorifica mentione neque mediocrem, neque profanum (Magistri, aut testis alicu-

alicujus &c.) eorum Authoribus ſplendorem impertitur.

Secundum eſt, *Quòd judicat illa utilia ad doctrinam fidei, & morum, & ob hoc laudat ea:* qua ſanctæ eruditionis commendatione lectores quodammodo pelliciuntur.

Tertium, *Ac præcipuum eſt, quòd Eccleſia tollit opuſculis approbatis ſuſpectionem de hæreſi voluntaria, quæ eſt verè hæreſis. Nam illa opera quæ approbantur, licèt non ſint omninò diſcuſſa ab Eccleſia, ſicut ſi deberent ſingulæ partes approbari, tamen quadam generali diſcuſſione cognoſcuntur, & apparet ex eis, quomodo auctor eorum in omnibus Catholicè ſentiat, nolens dogmatizare expreſſè & ſcienter aliquem errorem, &c. Et iſta fuit cauſſa potiſſima, quare Eccleſia approbavit quorundam Doctorum opera,* &c. quia nimirum ea ſecernere voluit à peſtilentibus hæreticorum libris, quos illi ſpargebant.

Quartum eſt, *Quòd dat eis quamdam auctoritatem, quam aliàs non habent:* non eam quidem quam hæretici S. Auguſtino tribuunt, ſed aliam inferioris notæ, in eo poſitam, *quòd quando aliquis allegaverit dictum alicujus libri approbati per Eccleſiam, facit probationem, etiamſi ipſe Author nullam cauſſam dicti ſui oſtendat.* In quem ſenſum S. Thomas aſſerit: *Sacram doctrinam uti auctoritatibus Doctorum Eccleſiæ, quaſi argumentando ex propriis, ſed probabiliter* tantùm. *1. part. q. 1. ar. 8*

Quintum eſt, *Quòd alleviat homines errantes. Nam ſi contingat quemquam errare circa aliquid,*

quod

quod pertinet ad fidem, occasione alicujus libri approbati, scilicet quia continetur in eo aliquis error, vel sequitur ex doctrina ejus, tenens illum errorem (dum tamen non pertinaciter) etiamsi sit vir doctus, excusabitur per authoritatem libri approbati, &c. Non esset tamen ita excusabilis qui erraret sequens doctrinam libri non approbati. Ita Tostatus.

Hæc est authoritas longè sanctior quàm (ex Præfatoris mente) Magistri cujuscumque, quæ ex generali Ecclesiæ approbatione cùm S. Augustini, tum aliorum Patrum operibus accedit. Suprema verò illa, pro qua Jansenius ejusque sectatores pugnant, neque S. Augustino, neque alteri umquam ab Ecclesia concessa est.

PUNCTUM VI.

Quàm vanis argumentis Præfator asserat B. Augustinum esse Authoritatis irrefragabilis.

Ut Præfator doceret, Augustinum esse irrefragabilis authoritatis, sic ut ei contradicere ulla in re nemo posset, ea tum in Disputatione 26. Januarii, tum in furtivis impressis protulit argumenta, quæ vel primi anni Philosophus, esse perabsurda facilè demonstrabit. Ea breviter astringam ad formam Syllogisticam.

Primum est ejusmodi: Omnis doctrina quæ assumitur à Pontificibus aut Conciliis ad stabilienda Fidei dogmata, est irrefragabilis. Aliqua doctrina S. Augustini assumitur à Pontificibus & Conciliis ad stabilienda Fidei dogmata.

Ergo

Ergo omnis doctrina S. Augustini est irrefragabilis.

O consequentiam! Prorsus similem huic: Omnia quæ approbantur à S. Paulo in libris Canonicis, sunt irrefragabilia.

Aliqua dicta Arati poëtæ approbantur à sancto Paulo, Actorum cap. 17. *Act. 17.*

Ergo omnia dicta poëtæ Arati sunt irrefragabilia.

Vitium consequentiæ ex eo trimestris Dialecticus arguet, quòd à genere non distributo ad idem distributum nulla sit illatio.

Igitur ex antecedente Præfatoris, illud unum sequitur; quæ ex Augustini operibus Pontifices, vel iis approbantibus Concilia desumpserũt; ea esse irrefragabilia, & fidem indubiam mereri; non quòd scripta sint ab Augustino, sed quòd à Pontificibus, vel legitimis Conciliis approbata & definita. Quod explicans Cælestinus Papa, Epist. 2. ad Episcopos Galliæ, ait se jungere *Africanorum Conciliorum quasdam sententias, quas utique suas fecerunt Apostolici* ANTISTITES, CVM PROBAVERVNT. Quæ autem à Sancta Sede non assumuntur eo modo, vel definiuntur, illa non sunt irrefragabilia.

Secundum argumentum est tale: Doctrina S. Augustni *laudata est & praconizata* ab Ecclesia, & ab omni suspicione erroris discreta. Ergo tota doctrina S. Augustini est irrefragabilis, sic ut ei etiam in nulla sententia vel apice contradici possit.

 Sed

Sed primò, non tam Auguſtini doctrina quàm perſona à ſiniſtræ ſuſpicionis rumore ſecernitur: aſſerente Cæleſtino; *Auguſtinum ſanctæ recordationis virum, &c. numquam ſiniſtra ſaltem ſuſpicionis rumor aſperſit.*

Unde eſto (quod graves Theologi controvertunt) Pontifex in quæſtionibus facti; hoc eſt, laudandis aut vituperandis, &c. Perſonis errare non poſſit magis quàm (quod omnes concedunt) in quæſtionibus fidei morumque decernendis: attamen hinc tantùm conficeretur B. Auguſtinum numquam fuiſſe ſuſpectum de errore aliquo formali; nam excidiſſe ipſi aliquando nonnullos errores materiales, antequam libros Retractationum ſcriberet, conſtat ex ipſiſmet retractationibus.

Gerſon. part. 2. Deinde S. Thomæ doctrinam univerſam non minus quàm B. Auguſtini laudarunt Summi Pontifices: Joannes XXII. dixit: *Tot miracula feciſſe, quot quæſtiones determinavit.* *Innoc. in Serm. de S. Tho.* Innocentius VI: *Hujus*, inquit, *Doctoris doctrina præ cæteris (excepta Canonica) habet proprietatem verborum*, &c. *Veritatem ſententiarum: ita ut numquam qui eam tenuit, inveniatur à veritatis tramite deviaſſe; qui eam impugnaverit, ſemper fuerit de veritate ſuſpectus.* An propterea hinc ſequitur totam S. Thomæ doctrinam eſſe irrefragabilem? Id ſi ſequitur cur vos Scotiſtæ, tam facilè in pleriſque omnibus ab ea receditis?

Reſpondet Præfator (aut ejus nomine Juvenis

venis ille Theologiæ Lector, suum & meum Magistrum non veritus Juniorem & imparem appellare) doctrinam S. Thomæ esse irrefragabilem discipulis S. Thomæ, non autem Scoti aut Durandi sequacibus: doctrinam verò S. Augustini esse irrefragabilem omnibus.

At cur ad Discipulos restringitur doctrina S. Thomæ, Augustini ad omnes irrefragabiliter extenditur: cùm hæc non magis à Pontificibus Universè (fortassis etiam minùs) sit laudata & approbata quàm illa S. Thomæ?

Reponit Præfator: S. Thomas confirmat suas conclusiones sententiis B. Augustini. Ergo doctrina B. Augustini est magis irrefragabilis in omnibus, vel in reliquis, quàm doctrina S. Thomæ.

Stramineum argumentum, affine huic: S. Thomas non rarò confirmat suas conclusiones authoritate Aristotelis: B. Augustinus authoritate SS. Cypriani, Chrysostomi, Ambrosii: S. Paulus Authoritate Arati Poëtæ. Ergo authoritas Arati Poëtæ est irrefragabilior in omnibus, vel in reliquis, authoritate S. Pauli; & ita de Authoritate Sanctorum Cypriani, Chrysostomi, Ambrosii respectu B. Augustini; ita de Authoritate Aristotelis respectu S. Thomæ.

Et quidem si hoc argumentum valeret in S. Augustino respectu eorum Patrum, quorum authoritatem confirmandis suis sententiis adducit; quomodo ipse est *Doctor omnium Docto-* *Vide Respons. ad Thes. D. Pastor.*

 rum

rum se posteriorum, imò & correctør priorum? Nam priorum Doctorum (Cypriani, Chrysostomi, Ambrosii) authoritate tamquam sua ipsius irrefragabiliore (secundùm Præfatorem) utitur frequenter: ac subinde quasi non irrefragabiles corrigit illos, quorum authoritate suas sententias firmarat.

Denique, si approbatio doctrinæ alicujus Scriptoris facta à Pontifice, efficit doctrinam approbatam esse veram, adeóque contradictorium ejus esse falsum: qua veritate ergo Scotistæ quotidie contradicunt Doctrinæ S. Thomæ, quæ approbatione Pontificia non tantùm colligitur esse vera, sed etiam disertè dicitur, *veritatem sententiarum habere?*

PUNCTUM VII.

B. Augustinum non esse irrefragabilem demonstratur verbis & exemplis gravissimorum Authorum.

Sumimus hîc irrefragabilem pro eo cui contradici non potest, aut cujus authoritas ad alicujus rei confirmationem non potest recusari, in quem sensum convenire hîc cum Præfatore non recusamus.

Ac ne iste magnus opinione sua vir me *tantillum* hominem (quo adversarios encomio ornare solet) ægrè ferat ausum sibi occurrere, pumilionem giganti: age magnos illi opinione omnium Viros non *componamus, sed opponamus,* nec

nec supponamus, sed præponamus (ut scita illius utar agnominatione) qui salvâ Augustini maximi Ecclesiæ Doctoris reverentiâ, ejus opiniones apertè deseruerunt.

I.

Pontifices Augustino refragantes.

Primas merito suo sibi vindicat Summus Pontifex Cælestinus I. à quo post Jansenianos, maximum Augustinianæ authoritatis Præfator momentum accersit. Ille igitur Epistola ad Episcopos Galliæ, coërcendis Pelagianorum reliquiis, postquam ea recensuit ex definitionibus Romanorum Pontificum Innocentii & Zozimi, & ex Carthaginensi Concilio, quibus continetur doctrina de necessitate gratiæ, sic concludit ; *Profundiores verò difficilioresq; partes occurrentium quæstionum*, &c. *sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere.* Quibus verbis, teste Baronio, Cælestinus *Profitetur profundiores quæstiones illas de Prædestinatione Sanctorum nequaquam ab Apostolica Sede esse definitas* : quidquid de illis statuerit Augustinus ; cujusmodi est de Prædestinatione ante prævisa merita. In quam sententiam etsi propendeat Augustinus, ei tamen non cōsentit Cælestinus, sed liberā utramvis opinādi partem relinquit. Nam contendit Baronius *illas quæstiones tantùm ab Apostolica Sede stabilitas fuisse, quæ ad condemnationem errorum* (cum quibus nullam habet connexionem quæstio illa, præcedátne Baron. An.431.

Præde-

Prædeſtinatio, an ſequatur præſcientiam meritorum) *ſatis poſſe ſufficere viderentur.*

II. Innocentius III. capitulo *Majores*, de Baptiſmo & ejus effectu, clarè diſtinguit pœnam damnatorum ob ſolum peccatum originale à pœna damnatorum propter peccata actualia & perſonalia, quod iſti torqueantur æterno igne, illi careant Dei viſione. Atqui fuiſſe Auguſtini ſententiam, quod parvuli ſine baptiſmo morientes crucientur pœna ſenſûs, admittunt maximi Theologi, & ab eo ideò recedunt. Magiſter ſententiarum, S. Thomas, D. Bonaventura, Scotus & alii. Et quidem Joannes Viguerius, ut mox videbimus, teſtatur capitulum iſtud, *Majores*, militare apertè contra ſententiam B. Auguſtini.

III. Adrianus VI. (apud Ruardum Tapperum, ad ſeptimum articulum Lutheri) etſi Auguſtinus aliter ſentire videatur, agnoſcit generalem Dei bonitatem erga omnes homines, cùm primùm ad uſum rationis perveniunt, ut eos juvet peculiaribus auxiliis.

II.

Cardinales Eccleſiæ quibus Auguſtinus non habetur irrefragabilis.

I. D. Bonaventura, etſi Auguſtini ſemper ſtudioſiſſimus, tamen in nonnullis ab eo modeſtiſſimè recedit. Ut de pœna parvulorum ſine baptiſmo decedentium 2. ſentent. diſt. 33. & fatetur Scotus infrà citandus. Item de momentanea

mentanea mundi procreatione, in qua opinione desciscit à B. Augustino Bonaventura, teste Pererio infrà.

II. Cardinalis Baronius illustrissimus sensuum Ecclesiæ totiusque antiquitatis perscrutator, suprà ostendit, ex mente Cælestini Papæ, liberiùs esse recedere ab Augustino, in quæstione de Prædestinatione, quàm DD. Catholici in scholis controversam habent; salvis *iis qua necessaria ad condemnationem errorum.*

III. Cardinalis Sadoletus, pietate & eruditione clarissimus referens varias de Prædestinatione sententias: *Ex altera,* inquit, *parte etsi ab ea stat Doctor maximus; idemq́; gravißimus & sanctißimus vir* (Augustinum certò designat) *tamen durum admodum mihi videtur, quodq́; illabi facilè non queat ad sensus nostros.* Hinc duo collige, alterum (ex sapientis illius opinione) Prædestinationem ante prævisa merita esse Augustinianam; alterum, in ea sententia illum refregari B. Augustino.

IV. Cardinalis Cajetanus, in Sacrarum litterarum interpretatione, & Scholasticis difficultatibus exercitatissimus 1. parte quæst. 70. art. 3. dicit, Augustinum contra Pelagianos pugnantem declinare subinde in oppositum; hoc est excedere lineam necessariæ veritatis.

V. Cardinalis Perronius, erectis contra hæreticos Doctrinæ trophæis eminentissimus, docet; probabilem tantùm esse B. Augustini sententiam, dum loquitur ut privatus Doctor, demon-

demonstrativam verò dum consentit cæteris Patribus : hoc est, minimè necessarium esse adhærere B. Augustino, nisi Patribus cæteris consentienti.

VI. Cardinalis Bellarminus (quem Cardinalis de Sourdis, ex omnium sapientum præjudicio appellabat Ecclesiæ sidus, Malleum hæreticorum, Verticem Theologorum hujus sæculi) lib. 2. de Sacramentis in genere, cap. 15. & 2. seqq. ad id quod Augustinus variis locis docet; esse de fide quòd Circumcisio in Veteri lege tolleret peccatum originale ex opere operato; respondet, neque esse de fide, sed potiùs contra communem SS. Patrum sententiam, ac disertè dicit, se hîc præferre Chrysostomi, Cyrilli & aliorum Patrum expositionem Augustinianæ.

III.

Alii Præsules qui interdum ab Augustini sententia desciscunt.

1. Genebrardus, Aquensis Archiepiscopus, antiquæ, si ullus, eruditionis & sacrarum linguarum peritissimus, qui Concilio Tridentino interfuit; in Epist. ad Carol. IX. præfixa operibus Origenis: *Augustinus*, inquit, *fuit iniquior interdum libero Arbitrio*; Sancto nimirum abreptus ardore adversus Pelagianos, Dei gratiæ minùs tribuentes.

2. Claudius de Xaintes Ebroïcensis Episcopus, acerrimus Calvini debellator; id ipsum passim

passim usurpat variis locis *Atheismorum Calvini & Bezæ*: ubi inter cætera ait; *Videtur S. Augustinus dum ardet contra Pelagianos neglexisse consentientem majorum doctrinam, in Scriptura benè fundatam*, &c.

3. Cornelius Mussus Episcopus Bituntinus, qui fuit Concilii Tridentini concionator, non tantùm dicta numero 4. confirmat; sed hæc etiam addit ad cap. 5. Epist. ad Rom. *Igne, inquit Augustinus, cruciantur infantes non baptizati: quid inde? Num habentes Ambrosium, Hironymum, Scotum, Thomam, Bonaventuram, &c. uni Augustino adhærebimus, tantam & Doctorũ, & Sanctorum Patrum catervam rejicientes? Absit, ut propter unius Augustini authoritatem, à Sanctis Patribus, adde à pietate & à ratione discedam. DISPLICEREM ET IPSI AVGVSTINO, SI TOT TANTISQVE REIECTIS PATRIBVS, ILLI VNI ADHÆREREM.*

4. Ambrosius Catharinus, Archiepiscopus Compsæ, vir acris ingenii atque judicii, qui Tridentino interfuit; sententiam Augustini de Prædestinatione rejicit.

5. Alphonsus Tostatus, Episcopus Abulensis, Defensorii part. 2. cap. 18. 81. 82. &c. Discedit ab Augustino, & licitum esse id facere demonstrat: neque tantùm eo libro, sed alibi etiam nonnumquam, ex præjudicio, quod exprimitùr Tom. 1. in Josue fol. 18. col. 3. ad marginem: *Amicus Augustinus, sed magis amica veritas Scripturæ.*

6. Fer-

6. Ferdinandus Vellosillus Episcopus Lucensis, doctrinæ S. Thomæ consultissimus, suprà laudatus, in suis *Advertentiis Theol. Scholast.* frequenter significat, liberam esse facultatem recedendi subinde ab Augustino: ut in Tom. 2. B. Chrysostomi, Quæsito 13. longè à medio, cùm ostendisset, B. Augustinum multis locis non retractatis; docuisse, *posse assignari caussam reprobationis positiva*; subdit tamen contrariam sententiam, quæ est Magistri & S. Thomæ, esse probabiliorem, & (juxta Dionysium) ab omnibus receptam. Item in Tom. 3. B. Augustini, Quæsito 18. circa medium: ubi cùm scripsisset se adhærere S. Thomæ subdit: *Non enim S. Thomas consentit cùm Gregorio Ariminensi neque cum B. Augustino*, &c. vide etiam Quæsitum 25. & in 4. Tom. quæsitum 30. ubi refragatur B. Augustini sententiis, falsóve an verè imputatis, ipse viderit.

7. Hieronymus Osorius Sylnensis Episcopus, inter eruditos Lusitanorum celeberrimus, qui etiam Tridentino interfuit: ejus vita præfixa est primo operum tomo. Hic contra Prædestinationem antecedentem, & prædefinitiones actuum humanorum disputans, fatetur se tenere sententiam Augustino contrariam, sed Patribus omnibus ab Apostolis usque ad Augustinum consonam: addit deinde; *in hac eadem sententia fuit Augustinus, ut illius scripta declarant; sed aliquando tandem à reliquis omnibus, atque à seipso discessit.* Si quid ejusmodi Author Apolo-

Lib. 9. de Inst. init.

Apologiæ scripsisset de Augustino, quid non diceret Præfator ?

8. Joannes Faber Episcopus Viennensis, vir lucubrationibus utilissimis adversus hæreticos nominatissimus, ut ipse dici possit, *Malleus hæreticorum*, quo nomine inscripsit unum ex operibus suis. Is Homilia 9. de peccato originali, negat pœna sensus abortivos plecti; *Licèt Augustinus*, inquit, *ut hæreses Pelagii, Juliani & aliorum extingueret*, *EXCESSIVE locutus sit.*

IV.

Præcipui Doctores Scholastici interdum refragantur B. Augustino.

Etsi Doctores, Catholici B. Augustinum ut suum Magistrum meritò venerantur, ab ejus tamen quibusdam sententiis liberè discedunt. Pauculos è multis in medium producam.

1. In quæstione celeberrima, de pœna peccato originali debita; sitne in parvulis sine baptismo morientibus, carentia visionis Dei, an etiam pœna sensûs, communis Theologorum sententia Augustinum deserit. S. Thomas, *De Malo*, quæst. 5. art. 2. ad propositam in contrarium Augustini sententiam humanissimè respondet, *Largè accipiendum*, quod tum ille, tum Gregorius dicunt, de cruciatu infantium non baptizatorum. Ac deinde perspicuè significat, S. Augustinum plus aliquando dixisse quàm credi necesse sit.

Nec minùs humaniter, fortassis etiam clariùs, ab Augustino discedit Scotus, in 2. Distinct. 33. secutus Bonaventuram : *Ad primum*, inquit, *argumentum respondet D. Bonaventura dicens, quòd Augustinus excessivè loquitur de illis pœnis.*

Joannes Viguerius in Academia Tolosana quondam Professor insignis, ex ordine S. Dominici, Augustinum sentientem parvulos sine baptismo morientes cruciari, excusat à gravi errore, tum quia pertinax in ea sententia non fuit, tum quia Decretalis, *Majores, de Baptismo*, tempore D. Augustini nondum erat edita.

Dominicus Sotus, qui interfuit Tridentino, acriùs istam Augustini sententiam perstringit lib. 1. de Nat. & grat. cap. 14. initio. Nam rejectis iis, quæ sententiam istam Augustini benignè poterant exponere: *Et ideò*, subdit, *non est dubium quin Augustinus misit infantes in ignem æternum ...... Salva tamen semper authoritate præclarissimi Augustini, compendio plures sunt, qui parvulos omni prorsus pœna sensûs liberant: in qua sententia fuit Magister sententiarum, & S. Thomas, & fermè Theologi.* Moxque sententiam illam, *perquàm rigidam, ac trucem* vocat.

Hinc tria collige: 1. Pontificem alterum, nempè Innocentium III. Augustino dissentire, cap. *Majores, de Baptismo, & ejus effectu*, ubi asserit infantes sine baptismo morientes puniri solâ carentiâ visionis Dei. 2. Principes duarum Scholarū Magistros refragari Augustino. 3. Proinde mirum non esse, si eorum Discipuli,

hoc

hoc est, reliqui ferè Theologi, sententiam Augustini in hac quæstione non sequantur.

II. Quod Augustinus operosè docet lib. 4. de Genesi ad litteram, cap. 21. & sequentibus aliquot capitibus, nempe universi mundi fabricam fuisse à Deo, etiam quo ad varietates formarum; uno eodemque temporis momento extructam, neque in ea re ullam fuisse temporis successionem, sed illa dierum volumina accipienda esse pro Angelicæ cogitationis alternationibus; hoc, inquam, Augustini dogma est ejusmodi, ut Alphonsus à Castro ordinis Minorum Regularis Observantiæ, afferat, illi *adeò contradici, ut nullum umquam ex sacris Scriptoribus viderit, qui Augustino in hac parte assentiat.*

De Gen. ad litt. lib. 4. cap. 21. 22. 32. 33. &c. lib. 12. de Civ. c. 7. 9. 30. 31.

Lib. 1. advers. heres. cap. 7.

Benedictus Pererius Societatis JESU Theologus, ab ingenio, doctrina, eloquentia, & rerum omnium comprehensione memorandus, Tomo & lib. 1. in Genesim, in hunc modum de hac opinione scribit: *Contrariam Augustino sententiam, equidem non modò probabiliorem judico, sed etiam certæ ac indubitatæ veritatis. Hæc enim fuit sententia ferè omnium Patrum & Doctorum Ecclesiæ, quotquot fuerunt ante Augustinum; quin etiam complures Theologorum, doctrinæ Augustinianæ acerrimi defensores, veluti Beda, Hugo de S. Victore, Rupertus, Magister sententiarum lib. 2. distinct. 12. & ibidem Bonaventura, aliiq; permulti in hoc DESCIVERUNT AB AUGUSTINO.* Ita Pererius.

In Genes. cap. 2.

 Hinc

Hinc constat non esse ejusmodi authoritatem B. Augustini (quamvis sit gravissima) cui aliquando non sint refragati Patres & Theologi maximi, etiam postquam ejus doctrina toties approbata fuit ab Ecclesia.

III. En duodenam luculentissimorũ Theologorum, qui verbis & exemplo ostendunt, licitum esse in Scholis eruditorum, recedere ab Augustino, ratione exigente.

1. Arragon ordinis Eremit. S. Augustini, Theologiæ in Salmanticensi Academia Professor, in 2.2.æ quæst. 64. art. 7. non magnoperè laborat de B. Augustini sententia circa licitam necem invasoris bonorum temporalium; ab illo enim paratum se ostendit recedere: quod etiam facit, sine necessitate, Quæst. 10. art. 4. §. *Sed contra.*

2. Arboreus Doctor Sorbonicus, in Epist. ad Roman. cap. 5. interpretationem B. Augustini, ex libro de Spir. & litt. cap. 10. dicit non esse ullo modo sequendam.

3. Bañez, ordinis Prædicat. part. 1. quæst. 23. art. 5. dicit de sententia B. Augustini, *hæc sententia non est probabilis.* Imò fatetur rationem Augustini sumptam ex illis verbis: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*, neque solidam esse, & Augustinum in modo arguendi deceptum fuisse.

4. Bononia qui Tridentino interfuit, libro de æterna Dei Prædestinatione, docet sententiam illam de Prædestinatione quam

Schola-

Scholastici mitiorem censent, & Augustino contrariam.

5. Cumel deserit sententiam Augustini docentis, peccatum originale esse caussam reprobationis. 1. part. quæst. 23. Disp. 4.

6. Driedo Professſ. Lovaniensis, & carissimus Adriano VI. libro de captivit. cap. 2. tract. 4. part. 8. conscius Augustinum aliud docere; aliud ipse docet circa peculiaria auxilia gratiæ. Et lib. 1. de Gratia & liber. arbit. cap. 2. tractans Augustini sententiam de cruciatu parvulorum, fatetur probationes B. Augustini petitas ex Scripturis, esse inefficaces.

7. Estius in 1. Sentent. dist. 14. §. 14. significat licitum esse recedere ab Augustino in ea doctrina, *quæ apud alios Patres, ipsumq; S. Thomam, in hujusmodi rebus exactissimum Doctorem, expressiùs reperitur.* Item alibi cùm retulisset Augustini sententiam; qua negat Sanctos quosdam in utero materno gratiam sanctificationis consecutos, illam apertè rejicit, etsi fateatur ab Augustino manifestissimè traditam; præfertque oppositam sententiam, quæ est SS. Ambrosii & Bernardi.

8. Medina Barthol. Dominicanus, Primariæ apud Salmanticenses Cathedræ Præfectus, 1. 2. Quæst. 109. art. 2. sub finem: *Sine dubio,* inquit, *sententia est Augustini, quòd homo in pura natura, habet naturalem virtutem operandi, quam non habet in lapsa. Non placet tamen Doctoribus.*

 9. Pen-

9. Pennottus, probatissimus Theologus, ex ordine Canonicor. Regul. S. Augustini, lib. 5. propugn. cap. 6. *Monuimus*, inquit, *non omnes sententias Augustini facere argumentum firmum & irrefragabile ad aliquam veritatem Catholicam comprobandam.*

10. Pighius, contra Calvinum, ostendit frequentissimè, licitum esse Theologis, Augustini sententiam interdum deserere. Vide de liber. arbitr. libro 2. cap. 2. cap. 3. & lib. 3. Et lib. de Prædest. ac Reprobatione, ait: *Hujus te lector monere volui, ut scires AVGVSTINI NOS NON LATERE, SED NON PROBARE SENTENTIAM.* Et lib. 8. ubi de Jacob & Esau: *ut intelligeremus*, inquit, *sub hoc judice* (agit de Augustino) *LIBEROS ESSE AVGVSTINI DISCIPVLOS, NVLLA SEQVENDI MAGISTRI NECESSITATE COACTOS.*

11. Sotus de Justitia lib. 5. art. 8. ad objectionem petitam ex Augustini lib. 1. de libero arbit. de non occidendo invasore bonorum temporalium, respondet: *aut fuit Augustini sententia; aut locutus est uti Philosophus moralis*: ideò contrariam sententiam docet. Et lib. 1. de Nat. & grat. cap. 14. initio: *Augustinus*, ait, *plus justo videtur torquere parvulos.* Quare manifestè ab eo discedit.

12. Tapperus Lovaniensis Academiæ Cancellarius & Professor Scripturæ sacræ, ad Articulum 7. Lutheri, dicit: *Piè credendum esse & valdè probabile, quod cuilibet adulto, &c. communicatur*

nicatur sufficiens adjutorium, &c. quo possit ad Deum converti. Et pro hac opinione videtur esse definitio, inquit, *Concilii generalis, de summa Trinit. cap. firmiter. Multa etiam pro ea adducit Sanctissimus Dominus Adrianus sextus.* Et eam sententiam cùm amplectatur Tapperus; fatetur *tamen aliam opinionem magis esse consentaneam Augustino*, &c.

In 1. qu. de Pœn. lib. 4. sent.

Quæ omnia manifestò demonstrant, neque verum esse, neque ex communi Theologorum sensu petitum, quod ex doctrina Præfatoris passim quidam jactitant in vulgus, nefas esse Augustini opinionibus ulla ratione refragari.

Prosequitur Præfator.

§. 3.

„ Nec solùm abutitur *Augustino*, contra *August.* sed
„ etiam à *pag.* 157. ad *162.* ipsis Epistolis Concilii
„ *Carthag.* & *Milevit.* imò & *Cælestini* Papæ, quibus
„ authoritas *S. August.* in subsellium Sedis Apostolicæ
„ elevatur: ad eam aliis Patribus & Doctoribus æqua-
„ liter comparandam, Cùm tamen censeat illas fuisse à
„ *S. Aug.* scriptas, & ab *Innoc. I.* confirmatas: sed ne-
„ sciat totas esse Doctrinæ August. nec Aug. fuisse so-
„ lùm earum scribam, sed authorem saltem potiorem:
„ Ex hac autem referat vel supprimat hæc *Aug.* præco-
„ nia. Ut *Cap. 1. Augustinum sanctæ recordationis*
„ *virum &c. nunquam sinistræ saltem suspicionis ru-*
„ *mor aspersit?* Contra illa errorum figmenta. *Cap. 2.*
„ *Nonnulli qui Catholico nomine gloriantur, &c.*
„ *Magistris nostris, tanquam necessarium modum ex-*
„ *cesserint, obloquuntur.* Cui potiùs quàm *August.*
„ quem *Magistri* sui nomine dignatur? Subdit usque

„ ad cap. 11. *Africanorum Conciliorum sententias quas*
„ *utique, suas fecerunt Apostolici Antistites.* Quæ sunt
„ ipsius *Aug.* resumptæ in Canones Conc, *Arauf.* 2.
„ imò & ipsius *Trid.*

RESPONSIO.

NEcesse est Præfatorem, dum ista scriberet, aliò distractum fuisse: ita enim aliena à proposito loquitur, & quæ laudi dare debuerat, ad criminandum abutitur. Te hîc, si umquam aliàs, lector optime, arbitrum posco: mera quæstio facti est, repetenda ex Apologiæ pag. 157. usque ad 162. item 148.

PUNCTUM I.

Calumniam esse, quod objicitur de abusu Epistolæ Concilii Carthaginensis.

Asserturus Author Apologiæ Sedi Apostolicæ infallibilitatem, præ Augustino, dixit: *S. Augustinum, tantùm suæ mediocritati semper diffisum fuisse, quantùm Pontificiæ authoritatis infallibilitati confisum.*

Isti præconio modestiæ, & veritatis Augustinianæ confirmando, duo accersita sunt testimonia: primùm ex Epistola 99. Augustini; *qua Patres Concilii Carthaginensis*, ait Author Apologiæ, *ab Innocentio Papa I. petunt* (*scribente Augustino*) *ut quæ ipsi contra Pelagium & Calestium, de materia gratiæ statuerant PRO SVA MEDIOCRITATE, Summus fidelium Pastor Innocentius ETIAM APOSTOLICÆ SEDIS ADHIBITA AVTHORITATE CONFIRMET.*

Alterum

Alterum petitum est *ex ejusdem Epist. 92. ubi Augustinus & cæteri Episcopi in Milevitano Concilio congregati, item ab Innocentio I. Pontifice Rom. censuram, & definitionem expetunt circa adjutorium gratiæ, contra interpretationes Pelagii & Calestii.*

Potest ne hîc aliquid inveniri criminationis à viro Catholico & Augustinianæ mentis conscio? Omnino criminatur Præfator, primùm: quòd istas Epistolas Conciliorum Carthaginensis, & Milevitani censeat Author Apologiæ fuisse ab Augustino scriptas, & ab Innocentio I. confirmatas; *Nesciat tamen totas esse Doctrina Augustini: nec Augustinum fuisse solùm earum scribam, sed authorem saltem potiorem.* *Præfator sup.* Præstaret sanè Præfator vernaculè legeret & scriberet: quis enim latinè intelligens nescit, apud Authores primæ classis, *scribere*, simpliciter; vel *versus*, *Orationem*, *Epistolam scribere*, idem esse atque componere? Debuerat saltem istum loquendi modum hausisse ex Augustino, sive libro *De bono perseverant.* c.21. ubi ait: *Proficienter me existimo, Deo miserante, scripsisse*; sive ex Epistola 110. in qua Augustinus non aliter exprimit se composuisse binas istas Synodales Epistolas, quàm quomodo tradit Author Apologiæ: *Curam Scripturarum*, ait Aug., *mihi fratres & patres mei Coëpiscopi duobus Conciliis Numidiæ & Carthagine imponere dignati sunt.*

Id non nesciebat Author Apologiæ, & sciebat Acta istorum Conciliorum, ex Cardi-

nalis Baronii Tom. 6. ad Annum Christi 416.

Denique meminerat se pag. 148. ita expressisse, ut Augustinus *suo aliorumq; Episcoporum* (*duobus in Conciliis*) *nomine* ad Innocentium I. scripsisset Epist. 90. & 92. Maneat igitur Authorem Apolog. nulla ratione abusum esse Augustino contra Augustinum, neque Epistolis Conciliorum Carthaginensis, aut Milevitani (eodem anno celebratorum) quas asseruit scriptas fuisse ab Augustino, ipsius & aliorum Coëpiscoporum nomine.

Apolog. pag. 148

Baron. Tom. 5. an. 416.

PUNCTUM II.

An injurium sit Augustino, ipsum, cum aliis SS. Patribus, Christi Vicario supponere.

Offensionis ansam arripuit Præfator ex istis Authoris Apolog. verbis: *ET VERO omnis authoritas quæ tribuitur D. Augustino* (*eadem est ratio aliorum Sanctorum Patrum*) *etiam in materia gratiæ* (additum id ob Jansenistas) *à sola manat approbatione Romanorum Pontificum.*

Apolog. 157.

Etsi minus æquum esse Pontificiæ authoritati Præfatorem, constaret pridem vel ex censura Universitatis Duacenæ, qua notatur, *Reus violati Juris Pontificii* propè in omnibus 12. §. & difficultatibus (quæ aliàs fortassis edentur ex voto multorum) hîc tamen iterum sorex se prodit.

Nam ægrè fert Augustinum (quem censurata à DD. Duacenis appellatione, *Assessorem Ecclesiæ* nominarat) suam à Romanis Pontificibus

ficibus authoritatem, uti reliquos SS. Patres, accipere; quàm tamen habere aliunde non potest, nisi merè communem.

Dicet Præfator: comparari aliis Patribus non potuit. R. At debuit, quando agebatur de eminentiore gradu capitis Ecclesiæ supra reliqua indiscriminatim membra.

Si quid autem eâ comparatione peccatum est; irrogetur sacris Conciliis. Primùm, Synodus quinta Constantinopolitana collatione 3. eodem in gradu constituit sive Personam, sive scripta SS. PP. Athanasii, Hilarii, Basilii, utriusque Gregorii, Ambrosii, & quorumdam aliorũ; quo in gradu constituit ipsius Augustini.

Deinde, Concilium Romanum primum sub Gelasio, ea ratione gradus authoritatis assignat Sanctis Patribus & Ecclesiæ Doctoribus, ut à B.Cypriano nonus numeretur Augustinus.

Nullus igitur abusus est Ecclesiæ sensûs adversus Augustinum, cùm de ipso id pronuntiatur, quod cum reliquis Sanctis Patribus commune habet, ex definitione Conciliorum.

PUNCTUM III.

Ex Epistola Cælestini Papæ nihil relatum vel suppressum, quod aliorsum quàm in B. Augustini laudem trahi debeat.

I.

Encomium Cælestini Papæ de B. Augustino.

Ex Epistola 2. Cælestini ad Episcopos Galliæ, Præfator primùm queritur, Authorem Apolo-

Apologiæ, *referre vel supprimere, hac Augustini præconia; Augustinum sanctæ recordationis virum, &c. numquam sinistræ suspicionis rumor aspersit.*

Apolog. pag. 159. Atqui nihil istius Elogii de B. Augustino suppressum est, sed descriptum integrè in Apologia. Neque verò timendum est, ne rumor aliquis sinistræ suspicionis, ob levia humani cordis figmenta (numquam *figmenta errorum* nominata) ex fallaci cordis humani judicio, Augustinum aspergat magis, quàm B. Hilarium Pictaviensem Episcopum: cujus etiamnum *libros* (teste ad Lætam Hieronymo) *quilibet inoffenso decurrat pede*; vel alios SS. Patrum. In quibus clarissimis Ecclesiæ solibus, suæ etiam figmentorum maculæ deprehenduntur; rebus deinceps meliùs ab Ecclesia discussis. Attamen secura semper manet, manebitque æternùm istorum fama ab omni sinistræ suspicionis rumore: quòd nimirum sequiùs aliquid interdum senserint, (uti ex Tostato, Cano, Horantio suprà ostendimus) controversiis necdum Pontificia authoritate diremptis. nam numquam suspicione ejusmodi sunt perstricti, quæ ab Apostolicæ Sedis communione eos divellere potuerit.

Idem Elogium quinta Synodus nec minùs disertè, aliis compluribus tribuit, quibus tantùm tribui authoritatis queritur Præfator.

Nam SS. Patribus Ecclesiæ DD. commemoratis; scilicet Athanasio, Hilario, Basilio, Gregorio utroque, Ambrosio, Theophilo, Chryso-

Chryſoſtomo, Cyrillo, Auguſtino, Proculo, & Leone; addit: *Suſcipimus & alios SS. Patres, qui in Sancta Dei Eccleſia rectam fidem* IRREPREHENSIBILITER, *uſque ad finem vitæ ſuæ prædicaverunt*; id eſt, qui ſemper in Eccleſiæ communione fuerunt, & quos numquam ſiniſtræ ſuſpicionis rumor aſperſit. Neque tamen illud Elogium impedit, quominus in multorum libris nonnulla reperiantur, quæ jure poſteà reprehenſa ſunt & improbata: nam id unum ſignificat, eos dum viverent, numquam ab Eccleſiæ communione deſciviſſe, aut in hæreſis veniſſe ſuſpicionem.

II.

Quò ſpectet Cœleſtini querela.

Deinde objicit querentem Cœleſtinum de Catholicis quibuſdam, Magiſtro ſuo (B. Auguſtino) obloquentibus. Fateor equidem B. Auguſtinum ex Magiſtris optimis à Cœleſtino Papa meritò cenſeri: verùm nego iſta Cœleſtini verba aut quidquam facere ad propoſitum (ut proinde omitti in Apologia debuerint) aut ſi ad rem faciunt, nego iis peti Authorem Apologiæ, ſed potiùs Præfatorem.

Et quidem aliena eſſe à propoſito, ex duobus conſtat: Primò, Ex fine propter quem Cœleſtinus iſtam ſcripſit Epiſtolam ſecundam ad Epiſcopos Galliæ. Qua de re ita ex Baronio (mentis Pontificiæ optimo interprete) compendio tradit author clariſſimus Gabriel *Baron. Tom. 5. an. 430.*

Pennot-

Propug. hum. libert. l.5.c.15. Pennottus : Cælestinum ista Epistola nihil jubere, quàm ut nonnullis Massiliensibus contra Augustinum, & ejus doctrinam, adversus Pelagianos & Semi-pelagianos, de gratuita Dei prædestinatione, publicè obmurmurantibus, per ipsos Episcopos perpetuum imponatur silentium.

Atqui nihil contentionis habet Author Apologiæ adversus sententias B. Augustini (Doctoris ex vero maximi) de gratuita Dei prædestinatione.

Secundò, adhuc manifestiùs patet ex citatis Conciliorum sententiis, quarum titulos & summam videre uno oculi jactu poterit eruditus lector, ex antiquis codicibus, compendio tradita apud Sirmundum, Tomo 1. Conciliorum Galliæ. Anno 431. pag. 60.

Verbo expediam : ibi Pontifex breviter tradit, quid fide certa tenendum sit, circa gratiæ Dei controversias. Quibus intelligendis Apologiæ Appendix part. 2. §. 5. medio, non parùm lucis conferet.

Jam verò, si Pontificia censura carpit eos, qui B. Augustino obloquuntur, *tanquam necessarium modum ipse excesserit*; (quando lubet Præfatori à mente Pontificis abludere) aio, Præfatorem hîc teneri: quòd B. Augustinus dicatur ab ipso necessarium modum veritatis excessisse; quando scripsit, se sentire quàm multa figmenta pareret cor suum, utpote humanum. Item cùm in extremo operum, *De bono persev.* cap.

Lib. 4. de Trin. in Præa.

cap. 21. asserit, se *neque à perfectione cœpisse scribere, neque in extrema jam ætate, sine errore scribere*; cujus si contrarium diceret, fatetur B. Augustinus, se *arrogantiùs, quàm veriùs* locuturum. Ut jam Præfator obloquutoribus B. Augustini annumerandus videatur. *de bono perseu. cap. 21.*

III.

De Africanorum Conciliorum sententiis desumptis ex Augustino.

Primùm; Undénam suam infallibilitatem habeant Africanorum Conciliorum sententiæ, desumptæ ex B. Augustini operibus, edisserat ipse Cælestinus: *Necessarium igitur fuit diligenter inquirere, quid Rectores Romanæ Ecclesiæ, de hæresi, quæ eorum temporibus exorta fuerat, judicaverint, & quid de gratia Dei sentiendum esse censuerint: ita ut Africanorum Conciliorum quasdam sententias jungeremus, quas utique suas fecerunt Apostolici Antistites*, CUM PROBARUNT. *Cælestin Ep. 2. ad Episcop. Galliæ.*

Hinc nimirum manat quæcumque vel Conciliis, vel Patribus tribuitur infallibilis authoritas: quod ipsum (uti debuit) significare non omisit Author Apologiæ, pag. 161.

De profundioribus denique quæstionibus B. Augustini, non alium Cælestini Papæ sensum fuisse quàm Authoris Apologiæ, suprà ostendimus ex Cardinale Baronio, explicante ibi mentem Pontificiam.

Prose-

Prosequitur Præfator.

§. 6.

„ Qua denique conscientiâ famæ antiquissimæ &
„ celeberrimæ *B. Aug.* tam liberè detrahitur: contra
„ tot Sedis Apost. publica præconia, hac occasione
„ exigente dissimulata? Cùm plurimùm intersit Ec-
„ clesiæ, ut cujus doctrina apud adversarios est in con-
„ fesso, tota apud nos sit in professo: ne qua exce-
„ ptione totam enervemus.

RESPONSIO.

PUNCTUM I.

Utrum Author Apologiæ detraxerit famæ B. Augustini.

SI removeantur quæ Præfator per calumniam imponit Authori Apologiæ; nihil in hac invenietur, quod antiquissimam & celeberrimam B. Augustini, maximi Ecclesiæ Doctoris famam, veramque Authoritatem, & meritam laudem, vel tantillùm (ne per speciem quidem) imminutum eat.

Istius flagitii Reum si lector optimus Authorem Apologiæ hactenus deprehendit; protestatur ipse nullam se pœnam deprecari velle.

Sin autem B. Augustino injurius ex eo pronuntiatur, quòd asseruerit; eum numquam voluisse suam authoritatem æquare, nedum præferre Pontificis authoritati: sensisse figmentis humani cordis se obnoxium, si quando Sedis Apostolicæ careret oraculis; quam lectoribus suis

suis ipse permisit libertatem censuræ ferendæ, eam non potuisse denegare Christi Vicario Pontifici Romano: Neque B. Augustini, neque alterius Sanctorum Patrum scripta esse irrefragabilis seu infallibilis authoritatis; nisi quatenus Sedis Apostolicæ authoritate nominatim confirmantur: Augustinum in Carthaginensi & Milevitano Conciliis, cæterosque Patres recurrisse ad Romani Pontificis authoritatem pro approbatione suæ doctrinæ de Gratia Dei: Denique Doctrinam B. Augustini de Gratia, in iis tantùm receptam Articulis ab Ecclesia, quibus Pelagianorum errores confutavit.

Hæc, inquam, si injuriosa sunt famæ B. Augustini, si gravioris detractionis noxam continent; nec culpæ istius, nec pœnæ debitæ veniam flagitat Author Apologiæ: fatetur ea ratione, & non aliter, abs se detractum Sanctissimi Doctoris famæ celeberrimæ; ut patet ex Apologiæ Appendice, parte 2. §. 3. 4. 5.

Et quidem eò se adductum prædicat ipsius persuasione Augustini, ita de se ex vera humilitate sentientis; certa præfinitione Cælestini Papæ, in astruenda B. Augustini doctrina; unanimi Doctorum Catholicorum consensione: ut videre est locis suprà citatis ex Alphonso à Castro, Gabriele Pennotto, Francisco Horantio, & Melchiore Cano Episcopo Canariensi, cujus hæc est indubitata sententia, *De locis Theologicis* lib. 7. cap. 3. nu. 7.

Canus de locis Theol. l. 7. c. 3. num. 7.

ante medium: *Auctores canonici, ut superni, cælestes, divini, perpetuam, stabilemq́; constantiam servant. Reliqui verò Scriptores sancti inferiores & humani sunt, deficiuntq́; interdum, ac MONSTRUM QUANDOQUE PARIUNT, præter convenientem ordinem, institutumq́; naturæ.* Ut propterea sibi à noxæ suspicione timere non debuerit R. P. Mantelius; quòd in suo de Venerabili Eucharistia libro scripserit, post viros magnos, olim in Ecclesia Africana invaluisse istam opinionem & consuetudinem dandi Eucharistiam parvulis (cùm per ætatem sumere poterant) infantibus, tanquam necessariam ad salutem, eamque fuisse sententiam Augustini, quibusdam in locis: sin autem se honorificè appellatum dolet in prima Spongiæ hujus parte; per me licet, ejus ibi nomen supprimatur, à quo nihil momenti habere potest ista multorum opinio, ut sibi persuadeat Author Apologiæ, eam reverà fuisse mentem B. Augustini, quam ab eo removit in sua Apologia, pag. 149.

Cum igitur nihil nisi in commendationem modestiæ B. Augustini & debitæ subjectionis adversus S. Sedem, dictum fuerit in Apologia; necesse est, meram esse calumniam, quod Præfator scripsit & sparsit in vulgus, nempe Authorem Apologiæ detraxisse de fama B. Augustini.

PUNCTUM II.

Cur in Apologia non sint posita praeconia omnia quæ S. Sedes tribuit B. Augustino.

Sed enim *dissimulata* sunt *tot Sedis Apostolicæ præconia*; præsertim eadem illa *hac occasione exigente.*

Quasi verò extra chorum non saltet quicumque B. Augustini authoritatem (qua hæretici omnibus post Augustinum sæculis contra S. Sedem abusi sunt) præconiis ferat in cœlum, quando sive contra Calvinum, sive contra Jansenium pugnat, neque Augustinum neque ullum è Sanctis Patribus esse infallibilis authoritatis; neque fas esse provocare ab Apostolica Constitutione, ad Augustini authoritatem : quod Baianorum effugium ut præcluderet Author Apologiæ , coactus fuit (post alia argumenta) etiam isto uti, quòd Augustinus non esset infallibilis authoritatis. *Vide P. Stephanum des Champs deHeres. Iansen. l.3. disp. 1. cap.1.*

Nam, ut rectè Melch. Canus suprà, *cùm Sanctorum quisque , his dumtaxat exceptis , qui libros canonicos ediderunt , spiritu fuerit humano locutus, & aliquando vel in eo errarit , quod ad fidem spectare posteà demonstratum est , apertè constat ex ejusmodi authoritate exploratam fidem fieri non posse.* *de loc. Theol. l.7.c.3. num.7.*

Quid ? quòd illud B. Augustini Elogium, à Cælestino Papa datum (de quo suppresso queritur Præfator) totum integrè recitatum sit in Apologia, pag. 159. Adeò omnia, quæ Præfator criminatus est, vel vana vel falsa sunt.

PUNCTUM III.

An sit necesse omnem omninò doctrinam B. Augustini ut certam admittere.

Constat ex dictis hactenus, non esse istam opinionem sapientissimorum Ecclesiæ Antistitum, & Doctorum Theologiæ.

Et verò (contra quod jactat Præfator) nihil admodum Ecclesiæ interest (obesse etiam forsitan potest) an illa alicujus è SS. Patribus doctrina, quam ipsa nominatim & particulatim non approbavit, *tota* apud obedientes filios *sit in professo, quæ apud adversarios*, (eâ ferè abutentes adversus Ecclesiam) *est in confesso*: si qui tamen esse possint hæretici, qui totam Augustini doctrinam (à qua Præfator omnem omnino errorem removet) habeant in confesso.

Quod verò timet, ne qua exceptione doctrinæ D. Augustini, reliquam enervemus, est panicus timor: quem foras misêre maximi hæresum debellatores, Cardinalis Hosius, Concilii Tridentini Præses, Cardinalis Bellarminus, Cardin. Perronius, Claudius Sanctesius, Franciscus Horantius, Nicolaus Romæus in effigie Calvini, Maldonatus, Albertus Pighius, aliique veritatis amantiores suprà citati.

Imò foras mittere debuit etiam Præfator, si sui memor fuit; cùm in hac Præfatione sua, & Tomo 2. Anatomiæ eò adducit mentem regulæ juris: *Exceptio paucorum firmat regulam reliquorum*, sive, *est reliquorum omnium confirmatio.*

Tom. 2. Anat. in ind. retract.

Foras

Foras misit ipsemet Augustinus, nec sibi neque ulli sacrorum Scriptorum (exceptis Canonicis) tantùm permittens tribui authoritatis, ut nihil nævi in eorum Scriptis inesse cōcederet. Videatur Epist. 19. lib. de Natur. & grat. cap. 61. lib. 2. contra Crescon. cap. 32. Epist. 48. Lib. 11. contra Faustum cap. 5. De bono perseveraut. cap. 21.

Discamus omnes à maximo Doctorum Augustino, quo loco ejus & aliorum Patrum authoritatem habere debeamus: *Neque enim,* ait, *quorumlibet disputationes, quantumvis Catholicorum, & laudatorum hominum, velut Scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salvâ honorificentiâ, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum Scriptis improbare, atque respuere, si fortè invenerimus, quòd aliter senserint, quàm veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis.* TALIS EGO SVM IN SCRIPTIS ALIORVM; TALES VOLO ESSE INTELLECTORES MEORVM. Ita B. Augustinus. *S. Aug. Epist. 111*

Ad cujus mentem uter candidiùs locutus sit, Præfatórne, an Author Apologiæ; tui (Lector optime) arbitrii esto sententiam ferre. Interim ego hîc fide optima testor, me (uti etiam Authorem Apologiæ) hanc scriptiunculam apologeticam nequaquam deprimendi Augustini Summi Ecclesiæ Doctoris caussa suscepisse; sed ut eum, aliosque omnes Sanctæ Romanæ Ecclesiæ filios ad debitam Apostolicæ Sedi submissionem provocarem.

SVMMA OMNIVM DICTORVM, qua unico Spongiæ inductu elutæ omnes criminationum maculæ, Præfatoris in caput refluunt.

Qui imperitiæ, ignorantiæ, negligentiæ & gravissimi peccati accusat scriptorem eum, qui nihil docuit, quod non ante illum probatissimi, sapientissimi, ac sanctissimi Scriptores docuerunt; is vel imperitus, ignorans, negligens; vel parùm Christianus accusator est.

Atqui sic Præfator accusat Authorem Apologiæ: Ergo Præfator vel imperitus, ignorans, negligens; vel parùm Christianus accusator est.

Major videtur clara in terminis: Probatur nihilominus dilemmate. vel enim qui istorũ criminum accusat; ignorat non esse imperitiæ, ignorantiæ, negligentiæ, detractionis crimen, sequi & docere sententiam, quam probatissimi, sapientissimi, sanctissimi Scriptores docent; vel non ignorat. Si ignorat; imperitus, ignorans, negligens est, qui ignoret non esse crimen, sed laudandum potiùs sequi & docere sententiam, quam antè probatissimi, sapientissimi, sanctissimi Scriptores docendo hoc ipso probabilem fecerunt. Hoc enim nemo nisi imperitus ac negligens Theologus ignorat. Si verò non ignorat; & tamen graviter expostulando accusat id quod crimen non esse non ignorat; An satis Christianus accusator dici potest?

Minor

Minor duas habet partes: prima est, Præfatorem accusare ignorantiæ, imperitiæ, negligentiæ & gravissimæ detractionis Authorem Apologiæ. Altera, hunc nihil docuisse quod non ante illum docuerũt probatissimi, sapientissimi, sanctissimi Scriptores.

Primam partem probat tum ipsa Præfatio quam hic digessi per paragraphos, tũ impressa & scripta non una ex ejus commissione, à quodam ejus Religioso, quem olim itidem ut me (quod doleo) sub ipso Apologiæ Auctore discipulum fuisse aiunt, invidiosè jactata & ejus farina accusationum plena.

Secundum probavit hæc Spongia. quam non piguit Præfatoris nævis maculare, ut ea re mei olim optimi præceptoris innocentiæ hoc qualicumque vel pietatis vel gratitudinis officio serviret. Certus eam posthac mundam servare. Si perget Præfator, sicut cœpit, innocentes male aspergendo seipsum magis conspurcare, quærat qui sordes ejus eluat; mihi, pro Præceptoris mei fama, hæc dixisse satis est,

AD MAJOREM DEI,

ET DOCTRINÆ S. SEDIS APOSTOLICÆ & secundùm illam S. AVGUSTINI, Doctoris maximi,

GLORIAM ET HONOREM.


BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE